STUDIA SYRIACA

FASCICULUS III

VETUSTA

DOCUMENTA LITURGICA

PRIMO EDIDIT LATINE VERTIT NOTIS ILLUSTRAVIT

IGNATIUS EPHRAEM II RAHMANI
PATRIARCHA ANTIOCHENUS
SYRORUM

TYPIS PATRIARCHALIBUS
IN SEMINARIO SCHARFENSI DE MONTE LIBANO
ANNO MCMVIII

ܟܬ̈ܒܐ ܕܠܘ̈ܩܛܐ

ܕܡܟܢܫܝܢ ܡܢ ܣܦܪ̈ܐ ܥܬܝ̈ܩܐ

ܡܢܬܐ ܕܬܠܬ

ܬܫܥܝܬܐ ܕܐܡܝܢܐ ܐܝܟ ܠܐܣܛܘܟܣܐ ܕܚܣܝܐ ܠܦܛܪܝܪܟܐ
ܡܫܠܐ ܕܩܪܝܒ ܕܝܠܐ ܡܬܕܢܚܐ ܘܦܣܩ ܡܢ ܫܬܐܣܘܗܝ
ܬܟ̈ܣܐ ܘܡܫܡ̈ܫܐ ܕܡܫܬܡܫܢܝܢ
ܫܡܥܐ ܕܐܒܗ̈ܬܐ ܕܐܬܡܣܪܘ ܕܠܐ ܡܚܒܒ ܕܐܘܪܗܝ
ܡܢ ܡܐܡܪ̈ܐ ܠܬܐܘܦܝܠܐ ܕܡܠܦܢܐ ܕܐܘܪܗܝ

ܒܝܕ

ܡܪܝ ܐܝܓܢܐܛܝܘܣ ܐܦܪܝܡ ܬܪܝܢܐ
ܦܛܪܝܪܟܐ ܕܐܢܛܝܘܟܝܐ ܕܣܘܪܝܝܐ

ܒܡܛܒܥܬܐ ܕܦܛܪܝܪܟܘܬܐ ܕܣܘܪܝܝܐ
ܕܒܕܝܪܐ ܕܫܪܦܐ ܕܒܛܘܪ ܠܒܢܢ
ܫܢܬ ܐܨܕ ܕܡܪܢ

Index

Ad lectorem

Rerum liturgicarum cultoribus haud exiguum adiumentum ad suas prosequendas inquisitiones attulerunt veterum ecclesiasticorum auctorum recensioribus hisce temporibus feliciter detecta scripta atque in publicam edita lucem. Prae primis commemoranda praesertim sunt: "Peregrinatio ad loca sancta„ quae primo typis prodiit anno 1887 curante I. F. Gamurrini; "Euchologium Serapionis„ quod edidit A. Dmitriewsky anno 1894; demum "Testamentum Domini„ a nobis vulgatum anno 1899.

Compertum attamen est eruditis viris codices syriacos, qui asservantur sive per orientem sive per occidentem, continere adhuc plura, eaque pretiosa, documenta ex quibus disciplinae liturgicae egregie illustrantur atque notabiliter augentur. Quapropter, eiusmodi studiorum promovendorum causa, animum diligenter adplicuimus ex codicibus nostrae bibliothecae nec non Parisiensis atque Vaticanae, quas nuper visitavimus, eruendis delectis opusculis liturgicis, iisque publici iuris faciendis hoc libello, qui est fasciculus tertius incoeptae collectionis, quae inscribitur "studia syriaca„ una cum elaborata a nobis ipsorum latina translatione, adiectis insuper hic inde opportunis brevibus adnotationibus.

Sunt autem illa documenta quae sequuntur:

I Ordo quo inire solet episcopus urbem, et descriptio partis liturgiae, quae anaphoram seu canonem praecedit.

II Responsa canonico-liturgica quaesitis propositis ab orientis abbatibus.

III Ritus et canones sacrarum ordinationum.

IV Epistola Anthimi pseudo-patriarchae Constantinopoleos ad Iacobum

Baradaeum episcopum monophysitam Edessae.

V Excerpta ex homiliis epithroniis Severi Antiocheni.

Animadvertendum est autem ex modo enumeratis documentis I^m quidem et III^m desinenti saeculo quarto vel quinto ineunti adscribi, reliqua vero sexto esse anteriora.

Quo porro melius innotescat quanta ex iisdem affulgeat lux sacrarum disciplinis antiquitatum, sub lectoris oculis vel in ipsa hac praefatione delineare praestat praecipua ex iisdem deprompta argumenta.

Primum itaque documentum non solum vetustioris liturgiae in ecclesia Antiochena describit partem praeanaphoricam, sed et testatur olim in eadem ecclesia exstitisse tum utriusque linguae graecae et syriacae usum, tum duplicem seriem sacrae hierarchiae ministrorum, quorum alii graece alii syriace suo munere in eucharistica synaxi celebranda seorsim fungebantur. Videlicet in praefato documento memorantur tum lector graecus tum lector syrus, itemque diaconus graecus et diaconus syrus.

Alterum documentum, coeteris praetermissis, ex eo commendatur, quod pristini aevi canones caerimoniasque exhibeat dimittendorum poenitentium atque catechumenorum, tradatque orationum formulas proferendas super utrumque ordinem. Suppeditat praeterea notitiam, hactenus incognitam cuiusdam haeretici et pseudo-episcopi nomine Zabad, qui sub Severo patriarcha Antiocheno vivebat.

Ex tertio documento plurae quaestiones de sacri ordinis gradibus, de singulorum variis officiis, deque ritibus ordinationum ample dilucidantur.

Ultimo demum loco excerpta ex Severi Antiocheni homiliis epithroniis agunt de origine quorundam dierum festorum ieiuniorumque atque de eorum in ecclesias inductione.

Beryti mense novembri anno MCMVIII.

I

RITUS RECEPTIONIS EPISCOPI

ET CELEBRATIONIS LITURGIAE

CATECHUMENORUM

Praenotanda

1. Descriptio codicis unde editio fit

Rarum documentum, quo exorditur studiorum syriacorum III fasciculus modo in lucem prodiens, desumptum est ex codice syr. nostrae bibliothecae pag. 303 recenter exscripto ex apographo membraneo litteris strangelis saec. VIII vel IX, uti videtur, exarato, quem possidet ecclesia Iacobitarum in oppido Mediad prope urbem Mardin in Mesopotamia. Ex isto documento habent cultores rerum liturgicarum tum breviter recensitum ritum quo antiquitus excipiendus erat episcopus, cum ingrederetur urbem suae sedis, tum descriptionem illius partis liturgiae eucharisticae quae canonem praecedit.

2. Assignatio aetatis documenti

Etsi autem memoratum scriptum nullam temporis notam praeseferat, nonnulla tamen ei insunt indicia, quae demonstrant aetatem, ad quam assignandum sit, saeculo sexto esse anteriorem.

Et primo quidem perhibetur ibidem solemnis manifestatio et publica explicatio splendoris sacrarum caerimoniarum, quibus occurritur episcopo advenienti in suam sedem. Praeeuntibus enim crucis vexillis cum facibus, praecedunt cum cantibus clerici, quos sequuntur laici ordine dispositi, viri seorsim ac item mulieres, donec perducatur episcopus prius ad "martyrion", exhinc ad portam majorem urbis, dein ad plateam ampliorem, atque ubique hymni solemniter concinuntur, thura adolentur, litaniae manifeste proclamantur. Huiusmodi sane triumphalis publicus apparatus rituum ecclesiasticorum non nisi sub dominio christiano locum habere poterat. Proinde procerto conclu-

dendum est documentum anterius esse occupatione Syriae per Arabes.

Imo probari videtur idem illa aetate esse vetustius ex eo quod contineat usus, qui nonnisi penes scriptores quarti et quinti saeculi reperiuntur, quique iam ineunte saeculo sexto desierunt.

Ita v. g. catechumenatus disciplina videtur ibidem in suo vigore stare, cum paescribitur non solum ut tum graecus diaconus tum syrus dimissionis formulas enuntient, sed et ut omnes diaconi easdem repetant (ambulantes per ecclesiam), donec ad altare accedant.

Praesertim autem antiquitas nostri documenti ex eo apparet, quod ibidem inter clericos inferiores, post psaltas, haud semel recenseantur illi qui, appellantur graeca voce φυλακες et syriaca ܢܛܘܪ̈ܐ i. e. vigiles, quorum mentio nullibi nisi in opere s. Maruthae Maipharkensis episcopi de ordinibus reperitur. Scribit enim : "Munus quo fungitur archidiaconus sese extendit ad omnes gradus videlicet ad presbyteros, diaconos, hypodiaconos, lectores, psaltas et vigiles„ . (Vide inferius notam 4 ad versionem latinam textus).

Insuper in eodem documento quamvis inseratur " Trisagion „ cuius usus in liturgia saeculo quinto ineunte iam invaluerat, sub silentio tamen praeteritur hymnus ὁ μονογενής, qui, occasione celeberrimae disceptationis "de uno ex Trinitate crucifixo„ fuit concinnatus et in liturgias Hierosolymae, Antiochiæ et Byzantii introductus.

Praeterea ab auctore memorati documenti omittitur ingressus minor (η μικρα εισοδος) ante lectiones Scripturales, neque describitur ritus "maioris ingressus„ quo oblata solemni pompa deferuntur ad altare.

Tandem, post dimissos catechumenos et disposita super aram oblata, dicit quidem auctor esse emittendam fidei professionem, attamen nullatenus commemorat symbolum Nicœnum, cuius usus obtinuit in liturgia post medium saeculum quintum.

3. Disquisitio de lingua liturgica pristina aetate per Syriam

Porro, ceteris omissis, nostrum documentum luculentum perhibet testimonium de duplici in sacra synaxi adhibita lingua, graeca videlicet et syriaca. Ibi enim praescribitur ut lectiones Scripturales graece et syriace recitentur, utque diaconus graecus et post ipsum syriacus proclamationes proferant.

Libet itaque hac occasione summatim attingere quaestionem de invecto graeco sermone in Syriae oras.

Quod lingua vernacula Syriae olim fuerit syriaca, per se patet. Hoc testantur sacrae Litterae, comprobant monumenta historica (1), ipsaque locorum nomina originaria proclamant (2). Attamen post occupatam Syriam ab Alexandro Magno et a Seleucidis, graeca lingua in illam penetrare coepit, sive per principes et magistratus qui sedes figebant in majoribus urbibus, sive per duces militesque qui suis illam tuebantur armis, sive per colonias, haud tamen ingentis multitudinis, ex Graecia deductas in civitates a Macedoniis sive noviter exstructas sive auctas.

Exinde et ipsi optimates natione syri, quo facilius accessus iis pateret ad principes, illorum addiscebant linguam. Praeterea qui alacriori praediti erant ingenio vehementer alliciebantur operibus graecis legendis quae celebrata erant omni genere scientiarum et cognitionum illius aetatis.

Accedit quod propagatio christianae religionis ab Antiochia per ceteras Syriae urbes plurimum contulerit incremento culturae graecae, ex eo quod praeter celeberrimam Veteris Testamenti versionem LXX, plerique libri N. T., qui a sacris agiographis pro omnium gentium utilitate destinabantur, graeca fuerint scripti lingua, quae reliquis notior et diffusior per orbem erat.

---

(1) Cf. Strabon geog. l. XI, 11 — Origenes contra Celsum VII, 9. etc.

(2) Cf. opus Clem. Jos. David archiep. Damasceni syrorum cui titulus arabice القمارى pag. 22 et seqq.

Hisce addatur quod sedibus maioribus interdum prraeficiebantur episcopi lingua graeci.

Consuetudo itaque graece loquendi, quae initio per gubernatores, duces, milites, coloniasque in Syriam introducta est, sese protendit, temporis progressu, ad syros indigenas nobiliores excultioresque, ad plerosque ecclesiarum praesules nec non ad scriptores. Nihilominus idem usus graeci sermonis neque universalis evasit, neque multo minus eo devenit, ut aboleret pristinam regionis linguam i. e syriacam. Quin imo communi populo vel in frequentioribus urbibus incolisque oppidorum, vicorum, agricolisque sola familiaris erat lingua syriaca.

Ad illustranda ea quae breviter innuimus hac de quaestione, pauca ex historia ecclesiastica proferimus :

1. S. Joannes Chrysostomus in sua homilia XIX graece habita Antiochiae, cum ad ecclesiam confluxerat multitudo rusticorum et agricolarum sic auditores allocutus est: "Festivitatem en maximam esse puto praesentem diem, propter fratrum nostrorum praesentiam, qui urbem nobis hodie adornaverunt et ecclesiam honestarunt . . . populus lingua quidem nobis diversus, fide vero consonus„ (Migne P. Gr. t. XLIX col. 188).

Eiusdem s. J. Chrysostomi hac de re exstat aliud tertimonium ex homilia de ss. martyribus: "In saecularibus, ait negoliis a se invicem dissident civitas et villa : in iis autem quae ad religionem pertinent, communicant et uniuntur inter se invicem. Nolienim barbaram ipsorum linguam spectare, sed animam ipsorum philosophia excullum . . . Quid enim diversitas linguae nocet, si fide iungamur ?„ (ibid. t. L p. 646) (1).

Imo quamquam valde diffusa fuerit cognitio graecae linguae in urbe Antiochia tum penes familias origine graecas, civitatis principes militesque, tum etiam penes nobiliores excultosque viros, nec non in publica rerum

(1) Ipse s. Joan. Chrys. probe linguam syriacam cognoscebat Cf. Comment. in Math. hom. VII c. II; Comment. in Genes. hom. IV c. I; Comment. in Ps. XLVIII c. III.

gestione, nihilominus communis indigenarum plebs in ipsa metropoli syriace loquebatur. Sic v. g. Jacobus Edessenus tradit Jsaacum Edessae presbyterum cum sub Petro Fullone Antiochiae commoraretur audiretque disceptationes concitatas de appendice illa: "qui crucifixus est„ extemplo suo aramaico idiomate carmen de eadem appendice publice edidisse (1).

Insuper, Zacharia rhetore teste (l. VIII c. 5), in ipsa Antiochia monasterium proprium syris exstabat, cuius abbas Cires nomine, cum renuerit doctrinam a concilio Chalced. definitam profiteri una, cum monachis Teleda, iussu Justini imperatoris, expulsus fuit (2).

2. Accedit quod plura occurrunt apud veteres scriptores testimonia quae demonstrant linguam syriacam tum per oppida in regione Antiochena tum per totius Syriæ urbes vicosque fuisse olim vulgatam, eandemque linguam patriam appellant. Ita v. g. Theodoretus episcopus Cyri in sua historia religiosa n. IV exhibens biographiam Eusebii monachi ait "Mons est praecelsus Antiochiae situs ad orientem ... ad ipsius vero excelsi montis radices vicus est maximus et populosus, quem incolae patria voce Teledam (ܬܠܕܐ) nominant (3)„. Et ibid. n. XIII refert de Macedonio Critophago quod "prope Antiochiam per annos 45 commoratus est manens in profunda caverna, quam quidam "guba„ (ܓܘܒܐ) cognominabant„ (4). Et in vita Abraami qui fructus fuit regionis Cyrensis, ut scribit, et postea factus est episcopus Harran narrat "imperatorem illum ad se arcessivisse desiderio eundem videndi ... Reginarum vero chorus manus eius et genua prehendentes virum orabant, qui nec graecam linguam intelligebat„ (5). Tandem n. XXI postquam commemorarit suos conatus ad errores Marcionis exstirpandos ex Cyrensi regione, subdit "venit aliquando de

(1) Cf. Nostra stud. syr. fascic. I p. 13 et seq.

(2) Apud Land anecd. syr. t. III p. 245.

(3) P. G. edit. Migne t. LXXXII, col. 1339

(4) Ibid. col. 1399

(5) Ibid. col. 1423

nocte exitialis daemon clamans et syra loquens voce : quid heus tu cum Marcione pugnam suscepisti? Haec ego audivi . . . et illa nobiscum audierunt alii quoque domestici„ (1).

3. Socrates de studio quo duo episcopi natione syri in artem oratoriam lingua graeca sese exercendi conabantur, sic refert : "Duo episcopsi natione syri eodem tempore florebant Severianus et Antiochus, quorum ille ecclesiae Gabalorum . . . hic ecclesiae Ptolomaidis in Phoenicia curam gerebat. Et ambo quidem eloquentiae causa celeberrimi habebantur. Severianus vero licet admodum eruditus videretur, graeca tamen minus distincte pronunciabat, sed cum graece loqueretur, syrum nescio quid in eius voce resonabat (2). Et Antiochus quidem cum prior Ptolomaide venisset Constantinopolim et in ecclesiis urbis regiae summa cum diligentia aliquandiu docuisset, eaque ex re magnam vim pecuniae collegisset, ad ecclesiam suam redierat. Postea vero Severianus audiens Antiochum Constantinopoli ingentem quaestum fecisse, exemplum eius imitari studuit. Cum igitur diu se exercuisset, multasque conciones elucubrasset, venit ipse Constantinoplim„. (Socrates 1. VI, 11).

4. Liber "Peregrinatio ad loca sancta„ saeculo IV exaratus, sic de linguis vigentibus in Ierusalem et adiacentibus oppidis testatur (3) : "Quoniam in ea

(1) Ibid. col. 1441

(2) In vetustissima vita s. Joannis Chrysostomi cuius arabica versio habetur in codice nostrae bibliothecae legitur de Severiano episcopo Gabalae olim amico Chrysostomi, deinde persecutore : وهذا سويرنس اسقف جبله تعرض للتادب باقوال الخطباء وتوهم انه يتادب ولم تكن نغمته فصيحة في اللغة اليونانية . بل اذا تكلم باليونانية تبين نغمته سريانية "Iste Severianus conatus est sese exercere in arte dicendi oratorum (graecorum), atque quamvis se id consequi posse putaret, nihilominus locutio eius in graeco sermone minime elegans erat, sed cum ille graece loqueretur, elocutio ipsius syriaca videbatur„.

(3) Opus istud, superstes in mutilo unico codice Arretino, scripsit nobilis quaedam et pia domina ex Gallia meridiana ad "sorores„, narrans susceptam peregrinationem per plurimas orientis regiones ad visitanda loca sancta. In ipsius nomine designando haud conveniunt eruditi.

provincia pars populi et graece et siriste (i. e. syriace) novit, pars alia per se graece, aliqua etiam pars tantum syriste etc„. (vid. Edit. 2 Gamurrini pag. 76). Eadem erat et incolarum Syriae conditio.

5. Biographus coaevus s. Rabbulae qui natalia post medium saeculum quartum sortitus est in Cennesrin a patre ethnico scribit (1). "Et cum adoleverit (Rabbulas), edoctus fuit litteras graecas, utpote qui esset filius divitum magnatumque urbis Cennesrin„ (vid. Overbeck s. Ephraemi et Rabbulae etc op. selecta p. 160).

6. Ipse s. Rabbulas qui postea an. 412 consecratus fuit episcopus Edessae, in concione quam habuit in ecclesia patriarchali in urbe Constanti - nopoli excusat suam inelegantiam in graeco sermone hisce verbis (2) : "Sum rusticus (i. e. incultus) et cum rusticis vivens. Siquidem nos et plerumque syriace loquimur„ (ibid. p. 240). (3).

7. Coaevus auctor vitae s. Simeonis stylitae († 459) referet, cum incolæ

---

(1) ܘܟܕ ܪܒܐ ܐܬܪܕܝ ܒܣܦܪܐ ܕܝܘܢܝܐ ܐܝܟ ܒܪ ܥܬܝܪ̈ܐ ܘܪܘܪܒܢܐ ܕܡܕܝܢܬܗܘܢ ܩܢܫܪܝܢ

(2) ܟܦܪܝܐ ܗܘܝܬ ܘܥܡ ܟܦܪ̈ܝܐ ܚܝ ܐܢܐ. ܣܓܝ ܓܝܪ ܐܝܟ ܕܒܣܘܪ̈ܝܝܐ ܐܦ ܣܘܪܝܐܝܬ ܗܘ ܡܡܠܠܝܢ.

(3 Quamquam haec, humilitatis potius causa, s. Rabbulas initio sermonis diceret, nihilominus ipsum optime dicere et scribere graece studio didicisse constat. Post enim nonnulla in eodem sermone subdit ܠܐ ܓܝܪ ܐܝܬ ܠܢ ܥܝܕܐ ܕܢܩܕܡ ܢܟܬܘܒ ܠܡܐܡܪܢ ܘܢܬܠܝܘܗܝ ܠܥܘܗܕܢܐ ܘܗܝܕܝܢ ܢܦܩܝܘܗܝ. ܐܠܐ ܗܘ ܡܕܡ ܕܡܘܠܕܐ ܛܝܒܘܬܐ ܒܡܕܥܢ ܗܘ ܗܘ ܡܡܠܠܝܢ ܚܢܢ ܕܠܐ ܛܘܝܒ ܠܥܡܗ ܕܐܠܗܐ. "Non est enim nobis mos ut antea nostrum sermonem scriptis consignare curemus, ut illum memoriae mandemus, et exhinc in publicum proferamus : sed illud quod (divina) gratia in nostra mente gignit, id imparati loquimur populo Dei„ (ibid. pag. 243). Ipsius insuper biographus commemorat praeclaras XLVI epistolas de fide graece ab eodem scriptas (ibid. p. 200), quas s. Cyrillus Alexandrinus laudibus prosecutus est (ibid. 229). Tandem eius accuratam graecae linguae cognitionem demonstrat ab eodem elaborata versio Syriaca N. T. (ibid. 172). Porro quod diximus de s. Rabbula dicendum est de celebrioribus ecclesiae pristinis scriptoribus, qui cum natione et lingua syri essent, graece scripserunt.

adiacentis regionis Bethgubae turmatim convenerint prope columnam ad celebrandas rogationes pro pluvia expetenda, scholarum pueros, nonnisi praeeuntibus et suggerentibus magistris, protulisse lingua graeca deprecationem Κυριε ελεισον: "Puerulos, ait, qui litteras addiscebant introduxerunt coram beato eorum magistri, qui praeeuntes iisdem canebant lingua graeca kyrie eleison quod explicatur : Domine miserere nobis (1)„ (Vid. cod. syr. Vatic. 160 f. 47 et Bedjan t. IV p. 613) (2).

8. Theodoretus episcopus Cyri testatur quosdam monachos Syriæ græce cecinisse divinum officium, alios syriace. "Alii quidem graece, alii eius in qua versantur regionis lingua Creatorem laudabant„ (. . .) (Hist. religios. Migne. P. G. t. LXXXII col. 1351).

9. Quamvis per Syriam inveniantur plures inscriptiones lapideae consignatae graecis litteris et graeco sermone, utpote qui magnatibus et viris excultioribus haud raro eaedem praeseferunt manifestos errores orthographicos aut grammaticos, atque ut plurimum aramaismum redolent, quod luculenter convincit patrium sermonem auctoribus et sculptoribus inscriptionum non iam graecum sed syriacum fuisse. Reperiuntur et ibidem inscriptiones latinae, cum ista lingua esset magistratuum ducumque. Sed nominatim et plurimae non solum per oppida sed et per urbes Syriae fuerunt detectae inscriptiones syri-

---

(1) ܠܘܬܗ ܛܠܝ̈ܐ ܕܝܠܦܝܢ ܗܘܘ ܣܦܪܐ ܐܥܠܘ ܩܕܡ ܛܘܒܢܐ ܪ̈ܒܝܗܘܢ ܕܐܢܘܢ ܩܕܡܝܢ ܗܘܘ ܘܡܩܢܝܢ ܗܘܘ ܠܗܘܢ ܡܩܕܡܝܢ ܒܠܫܢܐ ܝܘܢܝܐ ܩܘܪܝܠܐܝܣܘܢ ܕܡܬܦܫܩ ܡܪܝܐ ܐܬܪܚܡ ܥܠܝܢ.

(2) Ex testimonio eiusmodi nec non ex illo superius exhibito ex biographia s. Rabbulae patet in civitatibus imo et in frequentioribus vicis exstitisse magistros Scholarum qui pueros graecas litteras edocebant. Multo autem magis colebantur græcae litterae in Syrorum monasteriis praecipue celebrioribus. Hinc est quod Jacobus Edessenus post abdicatum episcopatum undecim per annos operam navavit restituendo graecae sacrae eruditionis studio in coenobio Eusebonae prope Antiochiam (Cf. chron. Michael. l. XI)

acae, quas publici iuris fecit Vogüé, aliique. Juvat indicare nonnullas ex iis quas recentissime vulgavit H. Pognon in suo praestantissimo opere "Inscriptions Semitiques etc. Paris 1907„ : v. g. n. 83 Alepi saeculi IV (l. c. p. 146); n. 85 Dehhesii haud procul a Teleda item saeculi IV (ibid. p. 152); n. 21 Bassufani anni 544 aerae Antiochenae (ibid. p. 60); n. 20 Caphar - Nabu anni 571 - 572 eiusdem aerae (ibid. p. 56) et n. 19 Stablati an. 593 (ibid. 55). Prae ceteris commemoranda est inscriptio notata ibi n. 18 quae est seculi IX et ita sonat : ܥܒܕ ܘܩܝܡ ܕܝܪܐ ܕܝܘܢܝܐ ܗܢܐ ܚܛܝܐ ܛܝܡܬܐܘܣ ܒܪ ܐܝܣܚܩ ܡܢܗ̇ ܕܬܠܥܕܐ ܒܫܢܬ ܐܠܦ ܘܡܐܐ ܘܫܒܥܝܢ . ܟܠ ܕܩܪܐ ܢܨܠܐ . "Fecit et constituit monasterium istud graecorum peccator Timothaeus filius Isaac ex ipsa Teleda anno 1170 (Christi 859). Quicumque legit oret„. (ibid. p. 54). Animadvertendum est autem monasterium quod dicebatur graecorum inscriptionem ad portam ingressus litteris et lingua syriaca quae erat propria loci, incisam habuisse. Porro dicendum est praedictos monachos, qui Melchitae erant, ideo probabiliter fuisse appellatos graecos non iam quod natione essent tales, sed quod ad imitationem celeberrimi monasterii S. Simeonis prope Alepum et S. Sabae in Palestina iam ritum graecum adhibere coeperint.

10. In codice syriaco Musei Britannici signato n. addit. 14602 exstat fol. 64 epistola dogmatica quam die 17 maii anni Christi 567 suis nominibus subscripserunt quadraginta quinque abbates monasteriorum orientis, quorum pleraque circa Antiochiam, Alepum, Mabbug, et oras Euphratis sita erant. Iamvero inter eorundem subscriptiones una tantum sic iacet : "Lazarus presbyter graecus (1)„ (Cf. Wright catal. of the syr. Brit. Mus. manuscripts p. 706).

11. In eodem codice f. 80 et seqq. exstat epistola quam ad Iacobum Baradaeum aliosque episcopos monophysitas miserunt centum triginta octo abbates monasteriorum provinciae Arabiae, quae hodie vocatur Hauran et ubi syriaca lingua florebat. Iamvero inter illos centum et triginta octo abbates soli viginti quatuor partim per se, partim autem per discipulos vel syncellos

---

(1) ܠܥܙܪ ܩܫܝܫܐ ܝܘܢܝܐ

praefatae epistolae graece subscripserunt, hisce ex. g. verbis "Ioannes presby. ter et reclusus monasterii pagi Beth - Taiman manu mei discipuli Iuliani graece subscripsi (1)„ (Cf. Wright cat. of the. Brit. Mus. syr. manuscripts pag. 709 et seqq.)

12. Tandem tum per orientem tum per occidentem in multis bibliothecis v. g. Vaticana, Parisiensi, Londinensi, Berolinensi etc. exstant perplurimi syriaci codices continentes ritualia, pontificalia, missalia etc. propria Melchitis quique dicuntur exscripti ab episcopis vel presbyteris usui eorundem ecclesiarum per Syriam (2) et in ipsa urbe Antiochena. Inter ceteros notandus codex syr. vatic. n. XX, qui dicitur exaratus in ecclesia "s. Domitii prope templum Erobta (ܐܪܘܒܬܐ) in urbe Antiochia„ (3).

Praeterea nonnunquam ibidem accurate designatur annus quo ritus graecus in syr. linguam fuit versus : sic v. g. in eodem cod. syr. vat. XX dicitur (4) "Ritus hic graecorum translatus fuit ex codicibs eorundem, anno graecorum 1353„ (Christi 1042). Alibi perhibetur nomen auctoris versionis ex graeco in syriacum : sic v. g. in cod. XLI ad finem officii exequiarum f. 406 notatur (5) : "illud transtulit antistes Paulus metropolita Sicae„ prope Cyrum.

Imo in quibusdam vetustioribus codicibus post orationes dictas "graecas„ vel "ritus graeci„ quae exhibentur versae in syriacum, diligenter inseruntur

---

(1) ܝܘܚܢܢ ܩܫܝܫܐ ܘܚܒܝܫܐ ܕܕܝܪܐ ܕܒܝܬ ܛܝܡܢ ܩܪܝܬܐ ܟܬܒܬ ܝܘܢܐܝܬ ܒܐܝܕܐ ܕܬܠܡܝܕܝ ܝܘܠܝܢܐ
Pagus auten Beth - Taiman non longe distat a Damasco et ܕܡܬܩܪܝܐ ܠܐܟܣܢܝܐ ܕܡܠܟܐ dicitur hodie بيتيمه

(2) Cf. catalogos praedictarum bibliothecarum

(3) ܒܥܕܬܐ ܕܡܪܝ ܕܘܡܛ ܠܘܬ ܗܝܟܠܐ ܕܐܪܘܒܬܐ ܒܡܕܝܢܬ ܐܢܛܝܘܟܝܐ

(4) ܐܬܦܢܩ ܛܟܣܐ ܗܢܐ ܕܝܘܢܝܐ ܘܐܬܦܫܩ ܡܢ ܨܚܚܐ ܕܝܠܗܘܢ ܫܢܬ ܐܠܦ ܘܬܠܬܡܐܐ ܘܚܡܫܝܢ ܘܬܠܬ ܕܝܘܢܝܐ

(5) ܫܠܡ ܛܟܣܐ ܕܩܘܒܪܐ ܐܝܟ ܕܝܘܢܝܐ . . . ܘܦܫܩܗ ܠܗܢܐ ܐܢܛܝܣܛܝܣ ܦܘܠܘܣ ܐܒܘܢ ܡܝܛܪܘܦܘܠܝܛܐ ܕܣܝܩ

aliae sub titulo "syriacae„ vel "ritus syriaci„ (1). Proculdubio eiusmodi orationes spectant ad pristinum ritum Antiochenum, quae tamen sequiori aevo ex libris Melchitarum omnino exciderunt. Praestat interim animadvertere quod notae quas modo indicavimus suppeditant argumentum ad definiendam aetatem, qua Antiochenae ecclesiae Melchitae mutuati fuerint ritum ecclesiae Byzantinae, et quod codices citati exhibeant nobis vetustas reliquias liturgicas Antiochenæ ecclesiae (2).

Hisce notatis de lingua graeca quae invaluerat in quaedam loca Syriae penes viros cultiores, dum interim syriaca lingua manebat in communi consuetudine per totam Syriam, regrediamur ad quaestionem de usu duplicis linguae graecae et syriacae in liturgia.

Liber itaque "peregrinatio ad loca sancta„ tradit quod Hierosolymis et in adiacentibus locis "episcopus licet siriste noverit, tamen semper graece loquitur

---

(1) Cf. cod. vat. syr. XX f. 78, 86 ܐܝܟ ܥܝܕܐ ܕܝܘܢܝܐ . ܐܝܟ ܥܝܕܐ ܕܣܘܪܝܝܐ cod syr. XIII Borg. fol. 118 v., 222 v. 226 v. ܨܠܘܬܐ ܐܚܪܬܐ ܣܘܪܝܝܬܐ (sic) .ܠܟܠ
ܨܠܘܬܐ ܗܕܐ ܣܘܪܝܝܬܐ

(2) Codices syriaci ad usum Melchitarum exarati sunt litteris quae similes sunt illis nuncupatis estrangelae, atque facile dignoscuntur a ceteris syrorum codicibus ex quibusdam orthographicis vel grammaticis signis aut proprietatibus.

Porro, quum temporis decursu, syriace loquendi usus diminueretur imo omnino obliteratus est, Melchitarum praesules prius verterunt arabice rubricas dein quasdam orationes, et tandem eorundem patriarcha Euthimius III Carme filius qui sedit anno 1631 universos libros liturgicos arabicos reddidit. uti testatur in appendice ad codicem bibliothecae nostrae coevus gregorius Joannes episcobus monophysitarum بطريرك الروم كرمه اخرج في مدينة حلب جميع كتب (الطقوس) الرومية الى العربية٠٠٠لان بلاد سورية اليوم قد بدلت اللغة السريانية بالعربية "patriarcha Carme graecorum, cum esset Alepi, omnes (liturgicos) graecos libros in arabicum idioma transtulit, propterea quod hodie lingua syriaca in arabicam per Syriam mutata est„.

(i. e. concionem ad populum habet) et nunquam siriste. Itaque ergo stat semper presbyter, qui, episcopo graece dicente, siriste interpretatur, ut omnes audiant quae exponuntur. Lectiones etiam, quaecumque in ecclesia leguntur, quæ necesse est graece legi, semper stat, qui siriste interpretatur (1), ut semper discant„ (Gamurrini pag. 76).

Iamvero exinde colligitur in provincia illa Palestinae, tempore quo liturgia missae perficiebatur, adstitisse episcopo graece lectionem evangelicam exponenti presbyterum qui, munus interpretis exercens, illam expositionem extemplo syriace vertebat populo cui illa lingua tantum familiaris erat, itemque lectores syriace interpretatos esse lectiones Scripturales : an alias vero partes liturgicas alii interpretes syriace redderent, haud liquet ex memorato testimonio.

Documentum autem nostrum, quod agit de usu liturgico per Syriae frequentiores civitates, testatur tum lectiones ex V. et N. T. primo graece et deinde syriace lectas publice fuisse, tum exstitisse alios diaconos destinatos graecis proclamationibus alios syriacis. "Legantur, ait, libri duo graecus et syriacus (2)„ et "Proclamet diaconus graecus . . . et post ipsum syrus etc„ (3). Non alia profecto de causa praecedere facit lectiones atque proclamatio-

---

(1) In vita s. Procopii Caesareensis qui decapitatus fuit anno 303 refertur eundem in ecclesia munere functum fuisse lectoris syriace (Vid. vers. syr. apud Bedjam T. 1 pag. 206).

(2) ܡܬܩܪܝܢ ܬܪܝܢ ܟܬ̈ܒܐ ܝܘܢܝܐ ܘܣܘܪܝܝܐ

(3) ܢܟܪܙ ܡܫܡܫܢܐ ܝܘܢܝܐ ܘܒܬܪܗ ܣܘܪܝܝܐ — Porro plura hic sunt animadvertenda. 1º Graeca et syriaca proclamationes minime ad litteram sibí respondent. 2º Eiusmodi proclamationum bilinguarum remansit, veluti vestigium, illa quae in liturgia Syrorum praecedit symbolum fidei hisce verbis : ܣܘܦܝܐ ܐܠܐܘ ܦܪܘܣܟܘܡܢ. ܢܩܘܡ ܫܦܝܪ ܒܨܠܘܬܐ (gr.) "σοφια Θεου προσχωμεν„ (cum sapientia Dei attendamus). (syr.) "Erecti bene stemus in oratione„. 3º Exinde facile quoque intelligitur ex memorato usu duplicis linguae provenire verba graeca quae hodie occurrunt in liturgia penes syros aliosque. 4º. Quod attinet nominatim ad Melchitas, sciendum est in quibusdam eorundem vetus-

nes graeca lingua iis quae syriace proferendae sunt nisi ad honores magistratui magnatibusque tribuendos.

---

tioribus codicibus exstare proclamationes diaconales tum graece, characteribus tamen syriacis, tum syriace. Ita v. g. in cod. Vat. syr. XLI, in quo exstat liturgia s. Joannis Chrysostomi. Ad pacem f. 18 legitur : ܡܫܡܫܢܐ . ܐܓܐܦܝܣܘܡܢ ܐܠܠܝܠܘܣ . ܣܘܪܝܝܐ ܢܪܚܡ ܚܕ̈ܕܐ ܒܢܘܫܩܬܐ ܩܕܝܫܬܐ "Diaconus : αγαπησωμεν αλληλους. Syrus : diligamus nos invicem osculo sancto„ — Ad orationem veli ibidem legitur :

ܡܫܡܫܢܐ ܐܡܪ . ܣܛܘܡܢ ܟܐܠܘܣ . ܣܛܘܡܢ ܡܛܐ ܦܘܒܘ . ܦܪܘܣܟܘܡܢ . ܛܝܢ ܐܓܝܐܢ ܐܢܐܦܘܪܐܢ . ܐܝܢ ܐܝܪܝܢܝ ܟܪܝܣܛܘ ܬܐܘ ܦܪܘܣܦܪܝܢ ♦

ܣܘܪܝܝܐ : ܢܩܘܡ ܫܦܝܪ . ܢܩܘܡ ܒܕܚܠܬܐ . ܘܢܚܐܪ ܗܘܢܝܢ ܠܩܘܪܒܢܐ ܩܕܝܫܐ . ܕܒܫܝܢܐ ܠܐܠܗܐ ܡܬܩܪܒ "Diaconus : στωμεν καλως στωμεν κατα φοβου. Προσχωμεν, την αγιαν αναφοραν εν ειρηνη Χριστω θεω προσφερειν. Syrus : stemus bene, stemus in timore, mentes nostras et defigamus in oblationem sanctam, quae in pace Deo offertur„. 5°. Tandem scriptio graecarum proclamationem litteris syriacis tum in praedicto codice tum in aliis pluribus manifeste ostendit communem clerum Melchitarum illis temporibus ne graece quidem legere novisse.

I

Ordo quo episcopus urbem inire debet

Episcopus ingressurus urbem prius ineat aedem sacram dictam "martyrium„, si ad fores urbis exstat, ibique thura adoleat.

Exhinc coram eo officium (i. e. psalmodiam) exordiantur vigiles (1) primo praecedentes cum crucibus et flammulis (2) et post eos subsequuntur filii ecclesiae (i. e. fideles) donec occurrat porta. Statim ergo ac ad urbis portam majorem ad intus pervenerint proclamat diaconus (litaniam), post quam proclamationem dicit coetus decies "Kyrie eleison„.

Protinus thura episcopus imponit, et post thura incipiunt officium singuli suo ordine, primo incedentibus laicis, et post illos clericis et post episcopum mulieribus, donec perveniant ad quadrivium. Ibi autem diaconus praedicat litaniam, et coetus post ipsus clamat uti dictum est (decies "Kyrie eleison„). Et post praedicationem (diaconus) offert episcopo thuribulum cui imponit thura.

Postquam episcopus ecclesiam ingressus fuerit, statim diaconus proclamat litaniam, et post proclamationem adolentur thura, et post thura ascendit episcopus ad ambonem et signat coetum signo crucis, a Deo illis bona implorans.

Descendens episcopus ex ambone pergit ad episcopion cum nobilibus, et, brevi recitata prece, sedet et sedere quoque penes se facit quos noscit congruum esse ut consideant.

Tempore autem acolothiae (3) (i. e. liturgiae) veniunt clerici descendit-

---

(1) Qui hic voce graeca φύλακες i. e. vigiles dicuntur iidem sunt ac illi qui alibi syriace appellantur ܫܘܪ̈ܐ. Ipsi autem spectant ad clerum. Vid. pag. 15 n. 1

(2. Vox latina, quae significat faces.

(3 I. e. tempore quo, absoluta psalmodia, celebrari solet missae sacrificium.

que (episcopus cum eis) ad diaconicon atque statim ibi sedet donec clerici sacras suas induant vestes. Egressus autem archidiaconus praeit coram episcopo gestans Evangelii codicem, incipiuntque vigiles (1) officium.

---

(1) Exstat in bibliotheca Vaticana cod. syr. Borgianus n. 82, in quo continetur fragmentarium opusculum de ordinibus quod edidit s. Maruthas Maipharkensis episcopus et misit ad Isaac Seleuciae et Ctesiphontis archiepiscopum, uti indicat sequens locus in fine operis pag. 29 : ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܗܠܝܢ ܕܟܬܒܢ ܠܟܘܢ ܐܘ ܚܦܝܛܐ ܕܐܠܗܝܬܐ ܘܡܝܬܪܐ ܐܝܣܚܩܘܢ . ܠܐ ܡܛܠܬܟܘܢ ܟܬܒܢ ܗܠܝܢ . . . ܐܠܐ ܡܛܠ ܐܚܪ̈ܢܐ . . . ܕܢܕܥ ܟܠܢܫ ܫܡܐ ܕܕܘܟܬܗ ܡܢܐ ܗܘ . ܘܟܠ ܕܪܓܐ ܘܛܟܣܐ . "Haec autem quae scripsimus vobis, studiosissime rerum divinarum et praestantissime Isacule, non iam propter vos ea scripsimus, sed propter alios . . . ut quisque nomen loci, gradum et ordinem quem occupat noscat„. Iamvero ibidem inter clericos minores recenset auctor prius psaltas et dein vigiles hisce verbis pag. 27 ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ ܕܝܢ ܕܐܪܟܕܝܩܘܢ ܟܠܗܘܢ ܠܛܟ̈ܣܐ ܡܛܝܐ ܐܡܪܝܢ ܕܝܢ ܩܫܝ̈ܫܐ ܘܡܫܡܫܢ̈ܐ ܘܗܘܦܕܝܩܢ̈ܐ ܘܩܪܘܝ̈ܐ ܘܦܣܠܛ̈ܣ ܘܣܦܘܕܐ . "Munus itaque quo fungitur archidiaconus sese extendit ad ordines universos, scilicet ad presbyteros, diaconos, hypodiaconos, lectores, psaltas, et vigiles„. Hinc singulorum ordinum exponens officia, sic distinguit psaltas a vigilibus : ܣܦܘܕܐ ܕܝܢ ܒܝܘܢܐܝܬ ܡܬܩܪܝܢ . ܡܬܩܪܝܢ ܕܝܢ ܣܘܪܝܐܝܬ ܝܨܝ̈ܦܐ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܕܒܨܝܦܝܢ ܒܫ̈ܥܐ ܕܡܫܡܫܢܘܬܐ ܕܥܕܬܐ . ܗܠܝܢ ܕܝܢ ܕܐܡܪܝܢ ܗܠܠܘܝܐ ܘܡܡܠܠܝܢ ܩ̈ܠܐ ܕܡܙܡܘܪܐ ܥܠ ܒܝܡ ܦܣܠܛ̈ܣ ܡܬܩܪܝܢ "Vigiles graece σπουδαιοι appellantur quod syriace significat ܝܨܝ̈ܦܐ i. e. curam gerentes, quasi dicatur qui curam gerunt horarum offici ecclesiae. Illi vero qui canunt "alleluia„ et verba psalmorum extollunt super ambonem nuncupantur psaltae„. Et re quidem vera nostrum documentum designat psaltas ut concinant "alleluia„ et propsalmon i. e. versus psalmorum ante lectiones Scripturales, et insuper psaltis canendum assignat trisagion. Quod ad vigiles spectat, documentum nostrum potiusquam eos sollicitos perhibeat de horis orationis, iisdem tribuit canendos hymnos in liturgia. Non abs re est notare can. 15 concilii Laodiceae innuere psaltas canere ex psalterio super ambonem.

Statim ac in ecclesiam episcopus introit, recitat archipresbyter orationem (1).

Postea psaltae dicunt trisagion (2). Et illico episcopus dicit orationem ante lectiones (3) et sedet suo loco, sedentque presbyteri iuxta ipsorum gradum.

Et statim clamat archidiaconus (4): πχυσασθε (silete).

Et illico lector ascendit (5) et annuntiat nomen libri sui (ex quo lectio desumpta est).

Hinc archidiaconus clamat (6): προσχωμεν (attendamus).

---

(1) In documento itaque quod prae oculis habetur, liturgia inchoatur ab oratione recitanda ab archipresbytero ante trisagium, praetermissis sub silentio praecedentibus secretis orationibus, quas in posterioribus orientalibus liturgiis sive Hierosolymitana, vel Antiochena aut Alexandrina aut Byzantina et Nestoriana recitat celebrans ad introitum ad sanctuarium, ad incendendum thus etc.

(2) Trisagium recitatur in liturgia missae ante lectiones Scripturales in cunctis ecclesiis orientalibus, excepta Alexandrina, in qua canitur quidem trisagium ante evangelium, sed post lectiones ex apostolo et ex epistolis catholicis.

(3) Solummodo in liturgiis Hierosolymitana, Antiochena et Nestoriana celebrans recitat secreto orationes ante lectiones ex s. Scriptura.

(4) Apud Nestorianos lector sic ante primam lectionem proclamat. ܐܬܒܘ ܘܫܬܩܘ. ܣܦܪܐ ܕܦܠܢ ܒܪܟܡܪܝ "Sedete et quieti estote. Ex libro N. Benedic Domine„, et iterum ante secundam lectionem ait: ܫܬܩܘ. ܢܒܝܘܬܐ ܕܦܠܢ. ܒܪܟܡܪܝ "Quieti estote. Prophetia N. Benedic Domine„. Porro binae lectiones Scripturales, quas auctor noster dicit legendas ante epistolam Paulinam, desumendae sunt ex V. T. uti disertis verbis praescribunt Constitutiones Apostolicae in lib. II c. 57 et in lib. VIII c. 5. Usus porro legendi in missa duas lectiones ex V. T. ante lectiones ex N. T. viget hodie apud solos Syros.

(5) Id convenit cum lib. II c. 59 ubi praescribitur ut lector "ex edito loco„ legat sacras lectiones.

(6) In liturgia Byzantina ante et post epistolae antiphonam praemitendam clamat diaconus "attendamus„ ut concitet cœtum ad audiendam lectionem.

Et statim ac lector absolverit lectionem, innuit archidiaconus uni presbyterorum, qui sedens clamat (1) : ειρηνη σοι (pax tibi). Et similiter agit donec (legantur) duo libri graecus et syrus.

Et illico psaltes ascendens dicit (2) : Ψαλμος τω Δαυιδ (psalmus Davidis)

Et dicit archidiaconus : προψαλλε (praecine).

Et dicit psaltes propsalmon (3) (antiphonam).

Et clamat archidiaconus (4) : υποψαλλωμεν (succinamus). Et sine mora canunt vigiles.

Et ascendunt illico duae aliae lectiones, cum episcopus manet in suo throno, manentque locis suis ii qui sedent.

Dicunt autem vigiles (5) sex versus ex psalmo miserere mei Deus secun-

---

(1) In eadem liturgia Byzantina post lectam epistolam sacerdos salutat lectorem dicens "pax tibi„.

(2) In liturgia Byzantina lector haec ipsa verba recitat ante antiphonam (προκειμενον) epistolae. In Maronitarum autem ritu ante antiphonam epistolae Paulinae lector proclamat ܡܙܡܘܪܐ ܕܬܫܒܚܬܐ ܡܬܐܡܪ "psalmus (i. e. versus pslami) laudum dicitur„. Et respondet sacerdos ܐܡܪ ܘܫܒܚ ܠܒܪܘܝܟ "psalle et lauda creatorem tuum„. Apud Nestorianos ante epistolam clamat diaconus : surgite ad orationem (dicite) antiphonam diei. ܩܘܡܘ ܠܨܠܘܬܐ . ܫܘܪܝܐ ܕܝܘܡܐ

(3) Propsalmon idem est ac ܐܘܡܪܐ apud Syros, ac ܫܘܪܝܐ apud Nestorianos et προκειμνον in ritu Byzantino.

(4) I. e. Respondeamus succinendo extrema versuum, uti explanant C. A. l. c."peractis vero per duos lectionibus, alius Davidis hymnos psallat, et populus extrema versus succinat„.

(5) Antiphona canenda ante epistolam constat sex versibus desumptis ex psalmo 50 cum totidem responsoriis interpositis. Eiusmodi antiphonarum exempla exhibet vetustissimus cod. syr. Londinensis addit. 17207, ubi singulae antiphonae constant ex brevi cantilena rithmica (ܥܢܝܬܐ) et ex versiculo ex psalmis (ܦܬܓܡܐ) in cuius fine succinitur postrema pars cantilenae. Sic se habet v. g. ad dominicam in albis antiphona ante lectiones V. T. :

dum misericordiam tuam, cum strophis quae congruunt.

Et illico orat (1) unus presbyterorum, et sedent.

Hinc illico legitur apostolus.

Dein illico (canitur) alleluia (2).

Et archidiaconus ait : προψαλλε (praecine).

Et post alleluia statim ait archidiaconus : Συνφωνως παντες υποψαλλωμεν (unisona voce omnes succinamus).

Et illico legitur Evangelium.

Et (recitantur) litaniae (3).

Et orat episcopus.

Archidiaconus dein gestat codicem Evangelii, qui super altare positus erat. Et graecus diaconus clamat (4) : ο σοι Κατακουεσθε προεστε (o qui estis

---

ܫܠܝܚܐ . ܗܠܠܘܝܐ ܩܪܝܢ ܗܘܐ ܥܠܘܗܝ . ܒܬܪ ܘܐܡܪܝܢ ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ ܀
ܦܪܘܦܣܠܠ . ܡܢܝܘ ܐܠܗܐ ܡܫܡܫܝܢ . ܘܡܢܘ ܐܠܗܐ ܕܡܫܡܫ . ܡܡܠܠ ܦܪܫܝܢ
ܘܒܬܪܐ . ܒܬܪ ܘܐܡܪܝܢ ܠܡܫܡܫܢܘܬܐ ܀

(1) Oratio ante lecticnem epistolae Paulinae.

(2) Antiphona ante lectionem Evangelicam dicitur a Syris ܗܘܠܠܐ i. e. αλληλουριον, et ter repetitur alleluia initio antiphonae ex psalmis desumptae.

Apud Maronitas ante antiphonam evangelii proclamat cantor ܗܘܠܠܗ ܕܡܙܡܘܪ ܕܐܡܝܪ ܠܕܘܝܕ "cantus alleluia Davidis dicitur" : et respondet sacerdos ܐܠܗܐ ܢܩܒܠ ܗܘܠܠܟ "Deus acceptam habeat tuam collaudationem".

Etiam in ritu Byzantino lector dicit ante evangelium "αλληλουια Ψαλμος τω Δαυιδ".

Apud Coptos autem ante Evangelicam lectionem proclamat diaconus "ex psalmis Davidis" et cantores plures canunt versus cum alleluia.

(3) I. e. litaniæ quibus diaconus invitat conventum ad orandum pro pace ecclesiae et mundi, pro cunctis et praesertim pro offerentibus.

(4) In documento, quod illustramus, dimittendorum tantummodo catechumenorum mentio fit. Liturgia Byzantina similiter solos catechumenos dimittit, Maronitica audientes. In liturgia autem Nestoriana praeter catechumenos aut audientes dimittuntur a diacono qui non sunt sumpturi eucharistiam hac proclamatione ܡܢ ܕܠܐ ܢܩܒܠ ܠܗ

auditores exite).

Et post ipsum (diaconus) syrus : qui non suscepit signaculum abeat (1).

Et ita clamant omnes donec ingrediantur ad altare (2).

Et archidiaconus gestans Evangelii codicem clamat : ο κατηχουμενοι προεστε (o catechumeni exite); τας θυρας (portas !) (3)

Et clauduntur vela et portae.

ܢܐܙܠ "abeat qui non est sumpturus ipsum (i. e. mysterium eucharisticum„). Quae proclamatio exstabat olim in liturgia Alexandrina saec. IV ,teste S. Timotheo episcopo in responso canonico ad IX interrogationem "in divina oblatione diaconus proclamat ante osculum : qui non communicatis abite„ (Vid. Pitra Iur. Graec. t. I. pag. 32). In liturgia autem Syrorum, uti ex commentariis patet, diaconus profert sequentes dimissoriales formulas : ܐܙܠܘ ܫܪܝܐ ܕܐܫܬܪܝܬܘܢ. ܬܠܝ ܫܪܝܢ ܕܐܫܬܪ̈ܝܢ. ܠܐ ܐ̱ܢܫ ܡܢ ܫܡܥܬ̈ܢܐ ܠܐ ܐ̱ܢܫ ܡܢ ܡܬܐܚܕ̈ܢܐ. ܠܐ ܐ̱ܢܫ ܡܢ ܗܢܘܢ ܕܠܡܨܠܝܘ ܥܡܢ ܠܐ ܡܨܝܢ. ܐܫܬܘܕܥܘ ܚܕ ܠܚܕ. ܘܬܪ̈ܥܐ ܐܚܘܕܘ ܘܩܘܡܘ ܫܦܝܪ. "Abite qui dimissi fuistis. Abite quae dimissae fuistis. Nemo ex catechumenis. Nemo ex possessis. Nemo ex iis qui nequeunt nobiscum orare. Noscite vos invicem. Portas claudite. Et bene state„. Quae proclamationes etsi exciderint ex usu in liturgia missae recitantur etiam hodie in consecrando chrismate, nec non in ritu benedicendae aquae intra missarum solemnia die epiphaniae Domini.

(1) Notanda est duplex formula dimittendorum catechumenorum, quarum prior græca a graeco diacono proferenda, altera syriaca a syriaco, neque ista illius est interpretatio litteralis.

(2) Ista verba "et ita omnes clamant donec ingrediantur ad altare„ innuere videntur ceteros diaconos, dum repetunt formulas dimissionis, per ecclesiam deambulare debere ad conventum inspiciendum ne quispiam dimittendorum ibidem manserit, eosdemque dein redire ad altare. Ex quo merito coniicitur agi in isto nostro documento de dimittendis reapse catechumenis, minime vero simpliciter de formulis liturgicis proferendis.

(3) Convenit adamussim cum liturgia Syrorum. Vid. p. 20 n. 4. Convenit quoque cum liturgia Nestoriana in qua post "ite auditores„ statim dicit diaconus "videte portas„. In liturgia autem Byzantina nonnisi post osculum pacis clamat diaconus "τας θύρασ τας θυρας„

Et statim vigiles dicunt hymnos (1).

Et adfertur aqua ablutionis ad episcopum et ad omnes presbyteros (2).

Et introit episcopus et stat ante altare, et illico incipiunt psaltae canere alleluia coram mysteriis (3).

Et cum perveniunt ad portam altaris aperiuntur vela.

Et statim ac mysteria disponuntur super altare, adolet episcopus thura, et dicunt professionem fidei (4).

Finis

---

(1) Cantica quae post dimissos catechumenos concinunt vigiles respondent hymno qui in liturgia syrorum dicitur "introitus„ (ܩܠܐ ܕܥܘܠܐ), in liturgia Nestoriana "cantus mysteriorum„ (ܥܘܢܝܬܐ ܕܐܪ̈ܙܐ), in liturgia Byzantina Χερουβικον ὕμνον. In liturgia autem Alexandrina coptorum deest quidem hymnus introitus, sed recitat sacerdos "orationem veli„ quae est oratio ad introitum.

(2) Tum episcopus tum presbyteri qui ei adstant ad offerendum sacrificium manus lavant, quod et innuit auctor C. A. in lib. VIII c. 11, hac tamen differentia, quod ex nostro documento lotio manuum fit statim post hymnum introitus, in C. A. lotio subsequitur osculum pacis. Porro in hodierna liturgia Antiochena Syrorum nec non in Alexandrina lotio fit post introitum. Liturgia autem Nestoriana praescribit lotionem post dimissos catechumenos et ante introitum. Tandem iu liturgiae Byzantinae codicibus desideratur praecisa mentio lotionis manuum celebrantis ad introitum.

(3) Iuxta C. A. 1. VIII c. 12 dona ad altare afferenda sunt post osculum pacis : hic autem dicitur quod post cantum hymnorum introitus, lotionemque manuum episcopus ante altare sistit et dona ad ipsum nulla alia solemni pompa afferuntur praeterquam quod coram iis psaltae canant alleluia. Ex quo concludendum videtur, tempore quo nostrum documentum editum fuit, nondum fuisse introductum ritum qui dicitur "magni ingressus„.

(4) Postquam dona fuerint disposita super altare adoleveritque episcopus thura, "professionem fidei„ enunciat coetus. Ad fidei autem professionem emittendam minime adhibet vocabulum "credo„ vel "credimus„. Videtur exinde formula Nicoena eo tempore nondum in liturgiam inducta. Porro animadvertendum est in liturgia Byzantina symbolum fidei post pacis osculum collocari.

II

RESOLUTIONES

LITURGICO — CANONICAE

Praenotanda

1. Indicatio codicis

Alterum documentum, quod hic in lucem vulgamus, extractum a nobis fuit ex secunda parte celebris codicis syriaci Sangermanensis bibliothecae Nationalis Parisiensis signati n. 62, inde a f. 229 usque ad f. 237 v., consistitque in XLV responsis seu resolutionibus de re canonica et liturgica.

Praedicta autem resolutionum collectio praesefert hunc titulum : "Capita seu quaesita ab orientalibus exarata et missa ad sanctos patres qui iis responsa dederunt„ : et in fine apponitur sequens subscriptio : "Absoluti sunt canones numero quadraginta quinque qui constituti fuerunt a patribus orthodoxis„.

2. De auctoribus resolutionum

Quamvis autem neque in titulo neque in subscriptione indicetur quinam fuerint illi orientales qui quaesita proposuerunt, quinamque patres auctores resolutionum, facillime tamen utrumque aliunde explanatur.

Gregorius equidem Barhebraeus suo nomocanoni, cui titulus "directorium„ (ܗܘܕܝܐ), plures ex praedictis resolutionibus canonicis totidem verbis vel adhibita contractione inserens, eas tribuit tamquam auctori Severo monophysitarum celebri patriarchae Antiocheno, uti in notis ad versionem textus significabimus. Iamvero easdem resolutiones praedicto Severo, uti auctori, minime tribuendas esse vel ex eo patet quod resolutiones 6 et 27 commemorent Severum cum apposito epitheto "sancti„ quo denuntiatur eundem iam fuisse vita functum. Praeterea ibidem exhibentur testimonia ex scriptis quae dicuntur ab ipso Severo relicta, nominatim vero ex opere contra "anachristas„.

Imo resolutioni 27 inest nota chronologica ex qua merito infertur, brevi

tempore post interitum eiusdem Severi et antequam a monophysitis eus loco sufficeretur Sergius Tellensis, editas fuisse resolutiones illas. Siquidem ibidem, ubi agitur res cuiusdam viri nomine Zabad, qui, praeter haeresim, sibi contra ius arrogaverat episcopalem dignitatem, postquam notatum fuit Severum declarasse irritam seu invalidam illius consecrationem, atque praecepisse ut ordinati ab eodem Zabad denuo ordinarentur, speciatim subditur "viginti plus minusve praeteriisse annos a quo talia fuerunt audacter patrata a Zabad". Iamvero Severus, qui an. 512 usurpaverat (1) sedem Antiochenam, exinde, imperante Iustino, anno 518 expulsus fugiit in Alexandriam (2); et, post adventum in urbem Constantinopolim, fuit an. 536 damnatus (3) a Romano Pontifice Agapeto, rediitque in Aegyptum, ibidemque interiit (4) an. 538. Proinde ex superius dictis deducitur decretum Severi adversus Zabad nonnisi an. 518 emanasse, et consequenter, additis viginti annis plus minusve, dicendum est resolutiones canonicas, de quibus occupamur, statim post eiusdem Severi interitum editas fuisse nempe ipso anno 538 vel anno subsequenti, antequam nempe Sergius Tellensis in eiusdem locum a monophysitis sufficeretur (5).

In codice syriaco bibliothecae nostrae, ex quo "Acta Pilati" vulgavimus (Cf. studia syr. fasc. II), prostat canonica epistola hisce resolutionibus canonicis parallela, quae non tantum confirmat ea quae exposuimus de aetate ad quam referendae sunt eiusmodi resolutiones, sed et designat quinam fuerint

---

(1) Tunc temporis legitimus patriarcha Antiochenus erat Flavianus, qui tamen parum constans in fide erat. Huic an. 518 successit legitime Paulus qui sponte Antiochia discessit. (Cf. Evag. l. IV, 4) et ab an. 521 usque ad 527 Euphrasius, et post eum ab an. 527 usque ad 545 s. Ephraem Amidensis sedit.

(2) Cf. Evagrium hist. eccl. l. III, 37; l. IV, 4; et Theophanem in chronog. ad an. 518.

(3) Damnatus fuit cum Theodosio, Anthimo aliisque ab Agapeto Romano Pontifice in conc. habito Constantinopoli.

(4) Cf. Barhebraeum in Chron. Eccl. edit. Lamy pag. 212.

(5) Cf. Barhebraeum in Chron. Eccl. edit. Lamy pag 214

orientales illi qui proposuerunt quaesita, quinamque antistites auctores resolutionum. Sic enim illius epistolae titulus enunciatur pag. 323 : ܐܓܪܬܐ ܕܫܕܪ ܡܢ ܝܘܚܢܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܡܨܪܝܐ ܡܢ ܩܘܦܪܘܣ ܓܙܪܬܐ ܠܪ̈ܚܡܝ ܐܠܗܐ ܪ̈ܝܫ ܕܝܪ̈ܐ ܕܒܡܕܢܚܐ ܡܢ ܟܠܗ ܕܚܒܝܒܝܢ ܗܘܘ ܡܫܒܚܐ ܕܝܪ̈ܝܐ ܒܟܠܗ ܡܢ ܩܠܝܪ̈ܝܩܘ ܗܘܘ ܕܦܢܝܘ ܡܢ ܣܘܢܗܕܘܣ ܕܟܠܩܐܕܘܢܐ ܠܬܐܘܕܘܣܝܘܣ ܦܦܐ ܕܐܠܟܣܢܕܪܝܐ ܡܪܝ ܠܐܢܬܝܡܘܣ ܦܛܪܝܪܟܐ. ܡܪܝ ܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ ܡܝܛܪܘܦܘܠܝܛܐ ܘܐܫܬܕܪ ܡܢܗܘܢ ܗܘ ܗܢܐ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܝܘܚܢܢ ܐܓܘܦܛܝܐ ܡܛܠܗ ܕܗܕܐ ܠܩܘܦܪܘܣ ܘܗܘ ܗܘ ܝܗܒ ܐܓܪܬܐ ܠܗܘܢ ܠܕܝܪ̈ܝܐ. "Epistola quam misit Ioannes episcopus Aegyptius ex Cypro insula ad amantes Dei abbates in oriente, qui praeclari quidem monachi de clericis reversis ex Chalcedonensi synodo interrogarunt Mar Theodosium papam Alexandriae, Mar Anthimum patriarcham (Constantinopoleos.) et Mar Constantinum metropolitam (Laodiceae), et a memoratis mandatus fuit episcopus Ioannes Aegyptius hac de re in Cyprum, qui ad illos monachos istam epistolam dedit„. Ita dein Ioannes ille exorditur epistolam : ܠܪ̈ܚܡܝ ܐܠܗܐ . . . ܩܫܝܫ̈ܐ ܘܪ̈ܝܫ ܕܝܪ̈ܐ. ܩܘܣܡܐ. ܐܘܣܒܝܣ. ܬܐܘܡܐ. ܙܢܘܒܝܣ. ܡܪܐ ܥܡ ܫܪܟܐ ܕܪ̈ܝܫ ܕܝܪ̈ܐ ܕܒܡܕܢܚܐ. ܝܘܚܢܢ ܐܦܝܣܩܘܦܐ. ܐܒܐ ܓܘܢܝܐ ܡܪܝ ܩܘܣܛܢܛܝܢܘܣ ܗܘ ܕܡܬܚܠܦ ܥܠ ܕܣܘܝܪܘܣ ܗܘ ܕܒܟܠ ܡܠܦܢܐ ܬܒܝܠܝܐ ܕܐܬܪܐ ܕܩܕ̈ܝܫܐ ܐܝܬܘܗܝ. ܡܫܬܘܬܦܝܢ ܠܗ ܟܕ ܐܦ ܗܢܘܢ ܐܚܪ̈ܢܐ ܐܒܗ̈ܐ ܐܚܪ̈ܢܐ. ܕܒܡܕܝܢܬ ܡܠܟܘܬܐ ܥܡܪܝܢ ܝܘܡܢܐ ܣܡ ܩܢܘܢ̈ܐ "Amantibus Deum . . . presbyteris et abbatibus Cosmae, Eusebio, Thomae, Zenobio, Marae cum ceteris abbatibus per orientem Ioannes episcopus. Pater communis Mar Constantinus qui vice fungitur Severi doctoris œcumenici qui in loco sanctorum est, concurrentibus aliis patribus qui hodie in urbe regia commorantur, condidit canones uti sequitur etc„. Eidem epistolae subnectitur appendix sequens : ܐܫܬܕܪܬ ܕܝܢ ܐܓܪܬܐ ܗܕܐ ܐܦ ܥܠ ܗܢܘܢ ܕܒܓܘܒܪܝܢ ܪ̈ܝܫ ܕܝܪ̈ܐ. ܕܐܝܬܝܗܘܢ ܣܘܛܝܪܝܟܘܣ. ܐܝܣܚܩ. ܐܘܣܒܝܣ. ܡܪܐ. ܝܘܚܢܢ. ܩܘܪܝܩܘܣ. ܓܘܪܓܝܣ. ܘܫܪܟܐ ܕܐܚܪ̈ܢܐ ܥܡܗܘܢ . "Fuit quoque eadem ista epistola transmissa abbatibus, qui in Gubrin (1), quorum nomina sunt : Sotiricus, Isaac, Eusebius, Maras, Ioannes, Cyriacus, Georgius et alii qui cum ipsis erant„.

---

(1) Gubrin est nomen castri Cyrrhensium

Ex depromptis itaque locis ex memorata epistola facile colligitur :

1° Post interitum Severi, antequam promoveretur a monophysitis ad patriarchatum Antiochenum Sergius Tellensis (1), functum fuisse, pro eadem secta, vice patriarchae, Constantinum episcopum Laodiceae (2), qui Constantinopoli, ceu hospes Theodorae imperatricis, commorabatur.

2° Monophysitas abbates monasteriorum per Syriam et Mesopotamiam, supervenientibus casibus dubiis in re canonica vel liturgia, quaesita praedicto Constantino proposuisse et ab eodem resolvenda ideo praesertim expetivisse quoniam postquam a Iustino imperatore a sedibus episcopi monophysitae expulsi fuerant (3), exigui admodum reperiebantur per illas provincias illius sectae episcopi (4).

3° Eundem Constantinum Laodicensem una cum Theodosio et Anthimo pseudopatriarchis Alexandriae et Constantinopolis, qui cum eo in eodem hospitio imperatricis Theodorae excipiebantur (5), propositis quaesitis responsa dedisse ad abbates per episcopum Ioannem cognomento Aegyptium in Cyprum hunc ob finem missum

Exhinc intelligitur illos qui in ista collectione quoque resolutionum, de qua agimus, dicuntur "orientales" abbates esse monophysitas monasteriorum per Syriam et Mesopotamiam subditam imperio Romano; auctores vero resolutionum, qui appellantur "patres sancti" esse Constantinum monophysitam episcopum Laodiceae, nec non pseudopatriarchas Theodosium et Anthimum. Minime tamen perspicuum fit hasce quoque resolutiones fuisse per Ioannem Aegyptium ad abbates transmissas.

---

(1) Cf. Barheb. Chr. Eccl. p. 214

(2) Cf. Barheb. Chr. Eccl. p. 196, 216

(3) Ibid. p. 196

(4) Ibid. p. 216

(5) Ibid. p. 204

Quamobrem cum eiusmodi resolutionum sylloge sit foetus auctorum monophysitarum, hinc est quod ibidem titulo "sancti„ commemorentur decorati Severus atque alii ex illius sectae coriphaeis, et summa iniuria impetuntur concilium Chalcedonense eiusdemque sequaces i. e. orthodoxi. Cum porro nefandos istorum hominum haereticorum ausus nos plane improbemus atque damnemus, nihilomims nulla alia causa nos induxit ad illam syllogen in lucem edendam cum latina versione brevibusque adnotationibus, nisi quia pleraque quae ibidem traduntur de re sive canonica sive liturgica sint antiquiora ætate qua ab Ecclesia Catholica monophysitae sese seiunxerunt. Accedit quod ibidem contineantur plurimae scitu dignae notitiae ex quibus historia ecclesiastica, liturgia aliaeque sacrae disciplinae mirifice illustrantur.

Capita sex quaesita ab orientalibus exarata et missa ad patres sanctos, qui iis responsa dederunt hisce resolutionibus

I Qui fuerint baptizati ab iis, qui minime facti erant sacerdotes, baptizandi sunt non secus ac si nondum fuerint baptizati (1).

II Pueri qui a captivitate eripiuntur, ignoranturque eorum parentes, neque adsunt propinqui, qui perhibeant testimonium de illis, utrum nec ne fuerint baptizati, neque quis alius praesto est, qui testetur eosdem iam lavacro baptismi dignos fuisse factos, baptizentur hoc modo, ut baptizans scilicet dicat "ego baptizo N., si nondum est baptizatus, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti (2)„. Nam illi de quibus haud constat alterutrum, sintne scilicet an

(1) Inserta exstat ista resolutio in nomocanone Barhebraei c. II sect. 2. (Vid. apud Mai script. vet. t. X pag. 13). Porro vetustioribus in monumentis occurrunt hic inde locutiones quae locum dederunt sentiendi nullum esse baptismum a laicis collatum (vid. capitula apost. XXI edit. Pitra jur. eccles. graec. t. I pag. 99, s. Basilii ad Amphilochium ibid. pag. 578), nihilominus Ecclesia docet validum omnino esse baptismum quod a laicis debitis conditionibus confertur. Imo cum inferius scilicet sub n. XXVII auctores earundem resolutionum declarent minime esse denuo baptizandos illos qui fuerant baptizati a sacerdotibus a Zabad invalide ordinatis, eo ipso docent baptisma a laicis collatum esse validum.

(2) Inserta exstat in nomocanone Barheb. l. c. Porro notandum est istam resolutionem fuisse desumptam ex Timothei Alexandrini responso canonico n. XXXVIII (Pitra jur. eccl. gr. t. I p. 638). Quamobrem forma : "ego baptizo etc„, quae traditur in ista resolutione, propria est ecclesiae Alexandrinae, cum qua convenit forma Romanae ecclesiae. Similis resolutio legitur in epistola Severi Antiocheni ad Theodorum episcopum Olbi in Isauria " . . . [illegible]

non baptizati, potius est ut denuo baptizentur, quam ut tali dono orbati decedant. Fieri enim nequit ut Spiritus Dei sit contrarius sibi, et, si semel donum receperunt, neque aliquid adversi infertur iisdem, neque augmentum ullum ipsis adiicitur in secundo baptismo.

III Qui a diaconis fuerunt baptizati, perficiantur signaculo chrismatis, cum fit oratio illa propria signaculi quo mos est ut post (susceptum) baptismum signentur. Diaconus porro qui extra mortis periculum baptizavit poenam subit (1).

IV Qui a presbytero fuerunt baptizati, quin s. chrismate ungerentur, perficiantur chrismatis signaculo cum fit oratio illa quae adimpletur super consignandos (2).

V Oportet ut altaria (3) quae a presbytero fuerunt uncta, perficiat epis-

---

ܥܡܕ ܦܠܢ ܐܢ ܠܐ ܥܡܝܕ . ܒܫܡ ܐܒܐ ܘܒܪܐ ܘܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ . "In baptismo illorum de quibus dubium habetur . . . sic dicat sacerdos : baptizatur N., si non est baptizatus, in nomine Patris et Filii et Spiritus S. „ (V. Brooks the selects lettres of Severus t. 2). Ex quo Severi loco apparet pristinam baptismi formam ecclesiae Antiochenae concordare cum ea quam adhibent hodie Syri.

(1) Exstat in nomoc. Barhebr. l. cit. — Porro diaconus est minister extraordinarius baptismi solemnis, ut ostendit exemplum Philippi qui consentientibus apostolis multos Samariae viros et mulieres et dein eunuchum reginae Candacis baptizavit (Cf. Act. apost. VI, 1). Etiam in Testamento Domini l. II n. X edit. nostra pag. 133 dicitur: "absente presbytero et necessitate urgente, diaconus baptizet„. Non intelligitur proinde cur sanciatur ab auctoribus resolutionum poena plectendum diaconum qui extra periculum mortis baptismum contulerit. Notum est autem diaconum nullam habere potestatem signandi s. chrismate baptizatum.

(2) Exstat apud Barhebr. in nomoc. l. c. Cf. Canonem 48 syn. Laodic.

(3) S. Ephraem in hymn. de virginitate testatur altare ungendum s. oleo (Vid. edit. nostram p. 12). Fieri autem debet unctio per episcopum ut inferius dicetur in resolut. VIII. Idem eruitur ex eorundem auctorum adhuc inedita epistola canonica ad abbates Ciliciae missa, ubi statuitur "ܐܦܠܐ ܕܝܢ ܫܠܝܛܐ ܘܠܐ ܠܗܘ ܕܢܡܫܚܘܢ ܡܕܒܚ̈ܐ ܐܘ

copus signaculo crucis absque chrismate cum interea dicit : "sanctificatum et perfectum est hoc altare in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti„. Sic dicat dumtaxat quin indigeat alia oratione.

VI Perspicuum est canonem cohibere daemoniacos a participatione sanctorum mysteriorum : nihilominus quum sanctos Timotheum (1) archiepiscopum Alexandriae et Severum patriarcham comperimus hac in re indulgentia fuisse usos, dicimus quod daemoniacus, qui adimpleverit omnia adimplenda, ieiuniisque navaverit operam, fueritque assiduus in oratione, atque coegerit corpus suum illud humilians ac affligens poenitentia, vigiliis aliisque Deo acceptis operibus, si a daemone is exagitatur noto quodam tempore, extra quod a vexatione daemonis reperitur incolumis sanusque in mente, relinquatur placito et conscientiae ipsius, ut particeps fiat sacrorum mysteriorum, si cupiat. Quod autem statuimus quoad ieiunium, orationem et alia cum iis coniuncta, id statuimus ex necessitate, edicente Domino nostro : hoc genus non exit nisi ieiunio et oratione„ (Math. XVII, 20). Sin autem, post eiusmodi opera, minime ille daemoniacus sanatur, perspicuum est id contingere ad ipsius probationem, aut ob aliam causam soli notam Deo, qui noscit expedire ut is sic plectatur. Quare qui talis est, propterea quod perfecerit quae erant ab ipso perficienda, habeatur quoque dignus illa indulgentia, quae visa est patribus.

VII De illo qui manus impositionem iam suscepit, deinde autem a daemone fuit possessus, aut de illo qui nondum factus sacerdos a spiritu fuit adverso vexatus, si post haec a daemonis exagitatione liberi ambo evadunt, sic statuimus : intervallum longum temporis transigatur cum praedictis, et si interiectum per intervallum haud vexantur, qui sacerdos quidem est, munere ministerii fungatur, et qui nondum est ordinatus, si necessitas adsit, dignusque

---

ܢܩܕܫ ܡܕܒܚܐ . "Ne audeat presbyter ungere vel consecrare altare„ (vid. cod. syr. bibl. paris. n. 62 f. 214).

(1) Vid. Timoth. Alexand. responsum III (Pitra Iur. eccl. gr. t. 1 p. 630) - Porro auctores monophysitae pro suo more haereticum Severum titulo "sancti„ ornant.

is ordinatione censeatur ratione morum suorum, ordinari potest (1) non solum in diaconum et presbyterum, sed et in episcopum.

VIII Minime facultas danda est presbytero ungendi altare : nihilominus permittitur ipsi ut iam unctum et in loco quodam erectum altare transferat et erigat in alium locum, ubi necessitas expostulat, dummodo id fiat de licentia episcopi (2).

IX Mos per orientem existens, ut abbatissae sint diaconissae, atque mysteria (i. e. eucharistiam) distribuant monialibus sibi subditis, conservetur ubi diaconissa habetur, dummodo in loco illo, in quo mysteria distribuuntur, presbyter aut diaconus minime adsint (3). Si enim pudicus presbyter diaconusve adfuerit, ne, hisce praesentibus, illae i. e. abbatissae diaconissae distribuant mysteria.

X Altaria quae comperiuntur in ecclesiis vel monasteriis regionum a barbaris devastatarum, neque noscitur sintne uncta an non, si lignea eadem sint, reperiaturque praefata materia i. e. lignum in illa regione, adferantur in diaconicon, ibidemque in honore teneantur, ut super illa exuant (sacerdotes) vestes sacras, atque super ea reponantur patenae, calices atque s. ministerii alia vasa. Nullatenus autem oblatio (missae) super illa offeratur. Sin vero sunt ex marmore, quod in illa regione desideratur, ungantur, cum episcopus qui illa ungit sic dicat : "ungimus altare hoc, si unctum non est (in nomine Patris etc„) (4).

XI Ordinatio diaconissae fiat iuxta usum loci. Innotuit vero nobis episcopum in oriente etiam orarium iniicere super illius humerum non aliter ac in ordinatione diaconi (5).

(1) Cf. canones apostolorum n. LXXIX (Pitra iur. eccl. gr. t. 1 p. 32)

(2) Inseritur a Barhebr. in nomoc. c. I sec. 6 (Mai script. vet. t. X pag. 8)

(3) Apud Barheb. in nomoc. c. VIII sec. 7. (Mai. scrip. vet. t. X p. 51). Cf. etiam resolutiones canonic. Jacob. Edess. n. 24 (edit. Lamy. p. 126)

(4) Vid. Barh. in nomoc. c. 1 sect. 6 (Mai scr. vet. t. X p. 8)

(5) Item Barh. in nomoc. c. VII sect. 7 (Mai t. X p. 15).

XII Ecclesia vel martyrium sic consecrantur : procedit episcopus pridie et altare erigit illudque consecrat; die autem sequenti egressus episcous, si martyrium est, orat, reponitque martyrum vel apostolorum ossa in suis urnis recitans orationem repositionis ossium ungitque urnas opobalsamo vel oleo fragrante i. e. haud consecrato (unguntur enim urnae suavis odoris causa); similiter desuper ungantur et cancelli aditus sanctuarii, itemque ungatur crux defixa in pariete, si exstat, ut deosculanti illam exhalet bonum odorem. Deinde absolvat episcopus totum officium, lectiones Scripturarum atque oblationem (1). Si tamen difficulter talia poterunt perfici, ungatur altare ab episcopo, mittaturque in locum ubi erigendum est, concessa ab eodem episcopo facultate presbyteris, ut ceteras adimpleant caerimonias.

XIII Illi qui, vi coacti, ab haereticis manus impositionem susceperunt, ita tamen ut eodem tempore anathematizarint ordinationes conferentes eosdemque hoc modo cohibuerint ne ipsis manus imponerent, zelus quidem, quem perhibuerunt, ad propulsandum donum ordinationis, laude dignus censetur : nihilominus oportebat ut alia prorsus ratione conatus adhiberent ad vitandum eiusmodi facinus. Quamoberem opus est ut iis idem prorsus tempus sit definitum ac illis, qui ordinantur ab haereticis, ad poenitentiam agendam. Ratione tamen zeli quem manifestarunt, aliquid ex rigore canonis iis remitti potest, prouti videbitur episcopo. Recte porro nonnulli asserunt illos minime ordines recepisse, ex eo quod haud credebant se suscipere ordines, atque idcirco oportere ut, cum ab orthodoxis recipiuntur, denuo ordinentur ut sanetur prior ordinatio. Illi vero qui voluntarie ordines ab haereticis receperunt rei facti fuerunt communionis cum haereticis.

XIV Illud vero quod stylita stans super columnam efficiatur sacerdos quin episcopus, qui inferius manet, ascendat ad stylitam, neque iste ex columna ad illum descendat, patres ne audiendo voluerunt id audire, utpote aliquid absonum et extra canonem qualemcumquc, renueruntque fidem hisce dictis

---

(1) Barh. in nomoc. c. 1 sect. 7 (ibid. p. 10) Cf. librum pontificalem.

praebere, aut reputare id de facto contigisse.

XV Monachus suscepturus manus impositionem, fiat primo diaconus, et, quantum fieri poterit, munere diaconatus antea fungatur et deinceps fiat presbyter (1). Si autem id nequeat facile fieri, urgeatque necessitas, statim ac fit diaconus efficiatur et presbyter.

XVI Si tabella altaris chrismate uncta et consecrata posita fuerit super mensam altaris minime consecratam, et sacrificium missae sic super illam tabellam fuerit oblatum, nequaquam ex hoc mensa evadit consecrata, sed necesse est ut eadem consecretur (2).

XVII Nequaquam consecrare licet tabellam pictam (3).

XVIII Imminente mortis periculo, baptizat presbyter, etiamsi minime sit ieiunus (4).

XIX Similiter et aegrotus accedens ad baptismum, etiamsi comederit ob necessitatem, recipiat eucharistiam immediate post baptismum (5).

XX Perspicuum est adhibendas esse orationes praescriptas pro ritu baptismi, ritu collocationis reliquiarum sanctorum et ritu consecrationis altarium.

XXI Quorum filii fuerunt baptizati ab haereticis, ipsi tamen communicnem habent cum orthodoxis, si pactum pepigerint, per Evangelium iurantes, se non amplius adituros haereticos aut cum eis communionem habituros ad dandam suis filiis eucharistiam, date illis et eorum filiis eucharistiam. Si autem renuant ad nos suos filios adducere, ne tribuatis illis eucharistiam (6).

XXII Baptismum Iuliani phantasiastae sequacium reputandum est validum, uti baptismum sequacium Chalcedonensis synodi : isti enim ut illi sim-

---

(1) Cf. can. 13 syn. Sardicensis

(2) Barh. in nomoc. c. 1 sect. 6 (Mai. op. cit. p. 8)

(3) Ibid.

(4) Barh. in nomoc. c. II sect. 2 (Mai p. 13)

(5) Ibid.

(6) Ibid. c. II sect. 1

pliciter haeretici sunt (1).

XXIII Habentes cum haereticis communionem, si filios suos apud vos baptizandos voluerint, illos admonete et ab iisdem exigite ut vobiscum communionem habeant in ecclesia orthodoxa. Si autem nequit id fieri qualibet de causa, baptizate eorundem filios dummodo vobis pactum pepigerint coram Deo iurantes se minime ad haereticos eos adducturos esse, sed eosdem qui a vobis fuerunt baptizati apud vos mansuros etiam pro communione eucharistica (2).

XXIV Quod ad illos spectat, qui asserunt se fuisse factos sacerdotes, quin tamen demonstrare valeant quisnam episcopus ipsos sacerdotes fecerit, sed quum interrogantur quomodo fuerunt facti sacerdotes, respondent illum, qui ipsos ordinavit codicem Evangelii ipsis super capita imposuisse, sciendum est tales homines nullatenus censendos ab episcopo ordinatos. Nullus enim datur episcopus, qui ignoret ad clericos ordinandos nequaquam super eorundem capita Evangelii codicem imponendum esse. Qui itaque tales sunt, desinant omnino se dicere sacerdotes. Sin vero, ut sese a difficultatibus expediant, reponunt se tantum factos fuisse clericos, exigatur ab iis ut ostendant quisnam ipsos fecit. Cum autem resipiant, et ipsos poeniteat perpetratae culpae fateanturque se minime factos fuisse clericos, si deinde agnoscantur digni qui clerici fiant, efficiantur non aliter ac si nondum ordinati fuerint, inquiraturque de ipsis bonum testimonium, probeturque quod eorundem opera talia sint qualia in ceteris, qui clerici fiunt, requiruntur.

XXV De puerulo cuius parens turbam scindens illum tollens immergit in aquam baptismi, antequam oleo catechumenorum fuerit idem unctus et quin receperit signaculum chrismatis, patribus visum est ut pater quidem plectatur poena ecclesiastica quam episcopus decernet ipsi convenire tum ut is peccati veniam obtineat, tum ne alii ipsius audaciae exemplum sequantur.

---

(1) Ibid. Porro Monophysitae auctores istarum resolutionum s. concilii oecumenici Chalcedonensis sequaces maxima iniuria appellant haereticos.

(2) Barh. nomoc. c. II sect. 1

Puerulus vero baptizetur a sacerdote fideli (i. e. orthodoxo), propterea quod Dominus noster apostolis et per illos iis, qui sacerdotii manus impositionem receperunt, dixit : "Cui remiseritis peccata remittentur ei„ nec non : "Euntes docete et baptizate omnes gentes in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti„. Sacerdotes ergo hac ex vritute et hac ex facultate baptizant et complent omnes traditos baptismi ritus, qui decurrunt in catholica ecclesia (1).

XXVI Qui praebent eucharistiam pueris sanis qui iam comederint (i. e. qui non sunt ieiuni), iubeantur, ne ita rursus agant. Quod si, post admonitionem, id repetant, subeant poenam ecclesiasticam, quam episcopus decernet. Oportet enim ut maxima praeparatione et puritate accedat fidelis ad sacra mysteria, excepto casu periculi aut aegritudinis, quae cogant eum ut aliter ad illa suscipienda accedat.

XXVII Qui baptizantur aut sacerdotii manus impositionem suscipiunt ab episcopis sectae Iulianistarum eodem modo recipiendi sunt ac illi qui poenitentia ducti ex haeresi synodi Chalcedonensis convertuntur (2). Tempus autem determinandum canonis (poenitentialis), singulis qui manus impositionem susceperunt imponendi, in potestate sit episcopi, cuius erit agere prouti in ecclesiae aedificationem id vertere iudicabit. Nos autem haud latet sanctum Severum Patriarcham decrevisse ut qui a Zabad (3) facti fuerunt (clerici) denuo

(1) Argumentum eiusmodi sophisma est, uti patet. Vid. supra notam ad resolutionem I

(2) Auctores monophysitae ubique haereticum Severum sanctum vocare, et synodo Chalcedonensi notam haereseos inurere audent.

(3) Colligitur ex iis quae hic traduntur 1° quemdam nomine Zabad, qui tempore Severi in Syria vivebat, molitum fuisse per nefas sibi arrogare dignitatem episcopalem, ita tamen ut idem Severus declaraverit irritam ipsius consecrationem, et sacerdotes aliosque clericos ab eo factos denuo ordinandos decreverit; 2° eundem Zabad insuper docuisse haeresim, quin tamen exinde cognoscatur, in quo eiusdem error consisterit. Iamvero in vetustiore formula quae in nonnullis codicibus legitur omologiae seu professionis fidei emittendae ab ordinandis diaconis et presbyteris, post enumeratos

ordinarentur, et iure quidem cum praeter haeresim, alias agnoverit de praedicto Zabad dari rationes, ob quas neque episcopatus nomine censuerit eundem esse dignum. Hanc ob causam visum est nobis, uti diximus, ut ordinati a Zabad iterum ordinarentur. Quod spectat ad baptizatos a sacerdotibus ordinatis ab eodem (Zabad), quoniam idem patriarcha nihil de iis statuit, neque nobis videtur aliquid innovandum, ne hoc modo perturbationem inducamus, cum iam viginti plus minusve anni praeterierint a quo talia fuerunt audacter patrata a Zabad. Hac de re argumentum comperimus in scripto ipsius sancti Severi cui titulus "contra anachristas„ i. e. contra illos, qui dicunt iterum ungendos qui baptizati fuerunt a sequacibus synodi Chalcedonensis, cum pœnitentia ducti revertantur, uti decet, ad orthodoxos. Haec sunt verba eiusdem doctoris: "Quemadmodum medicus in cognitione medicinae peritus aliter curat qui febri aegrotat et alia ratione qui v. g. tremore, vel hydropisi vel inflatione splenis afficiuntur, pari equidem ratione iis, quibus munus incumbit spiritualis et subtilis curae gerendae ecclesiarum, easque gubernandi, visum est singularum haeresum genera discernenda, proindeque minime eadem ratione curandos censuerunt qui infectionis Novatii et Pothini facti sunt participes, et qui coenosa labe Pauli Samosateni foetati fuerunt. Qui enim ex Pauli

---

haeresum auctores vel praecipuos fautores inde a Simone Mago usque ad tempus concilii Chalcedonensis, exigit episcopus ab iisdem ut "anathematizent Eutichium improbum, Iulianum Halicarnassi et Zabad illum impurum una cum eorundem doctrinis inficiatis fabulis, commentis et fictionibus quibus prorsus negatur oeconomia Dei Verbi pro nobis ܡܣܪܩܝܢ ܐܢܘܢ ܘܠܐܘܟܝܬ ܠܗܘܦܐ ܟܠ. ܘܠܡܠܒܫ ܕܐܬܒܪܢܫܘܬܗ. ܘܡܕܐܪܐ ܗܘ ܠܓܫܡܐ. ܘܐܦ ܠܡܬܚܫܢܘܬܗ ܕܡܫܝܚܐ ܘܡܬܚܫܢܝܬܐ ܕܒܣ̈ܪܐ ܕܟܠܗ ܡܕܒܪܢܘܬܐ ܕܐܠܗܐ ܡܠܬܐ ܕܡܛܠܬܢ. Quo ex loco apparet huius Zabad errorem attigisse Christi incarnationem et dispensationem Domini. Porro memoratus Zabad diversus plane est ab illo Zacchaeo (ܙܟܝ) magistro puerorum quem tempore Iustiniani duo presbyteri Edessae Iohannes et Zenobius in episcopum consecrare audacter affectarunt. (Id narrat Michael patr. Jacob. in suo chronico l. IX pag. 325 cod. nostri)

Samosateni haeresi convertuntur, canon XIX patrum CCCXVIII vult ut iterum baptizentur (1). Qui vero ad ecclesiam fidelem redeunt ex errore Novatii et Pothini, canon CX praecipit, ut signaculo chrismatis perficiantur : quem, quidem canonem et repetivit synodus congregata Laodiceae Phrygiae (2). Nam turpis haeresis Pauli Samosateni et illa Pothini eandem gignunt insaniam, neque ab invicem nisi in paucis discrepant. Quae cum ita sint, nos post exemplum patrum incedentes, minime plusquam oportet inquirendum arbitramur, neque ad prisca ascendimus tempora statutorum Cypriani et eorum quae patres congregati in Africa putarunt condenda„.

Si quis autem reponit asserens eundem patriarcham scripsisse, nequaquam nos valida recognoscere baptismata earum haeresum, quarum manus impositionem tamquam validam minime habemus, iste sciat manus impositionem a Zabad collatam ipsum (i. e. Severum) irritam declarasse, uti supra diximus, non solum ob haeresim, sed et propter alias causas. E contra haud facile ipsi fuit universim decernere irritamque declarare manus impositionem collatam a phantasiastis sequacibus Iuliani, qui eiusmodi haereseos exstitit auctor. Sed prouti diximus et iuxta scripta quae idem sanctus patriarcha nobis reliquit minime immoderata investigatio a nobis facienda est in iis quae ille constituit neque arbitramur nos sapientiores esse ipso, qui etiamsi haud ignoraret quod plurimi a Zabad susceperint impositionem manus, et sic longo tempore manserint, et quod insuper iidem baptizarint, nihilominus irritam quidem manus impositionem declaravit, ast minime praescripsit iterum esse baptizandos qui ab illis Zabad ordinatis fuerunt baptizati.

XXVIII Presbyteri et diaconi, qui sese vicissim anathematizant non iam haereseos causa sed absque iudicio et insipienter ex motivis prorsus humanis atque ex passionis motu, scire debent nemini fas esse anathema proferre nisi

---

(1) C. Conc. Nic. can. XIX (Pitra iur. eccl. gr. t. 1 pag. 435)

(2) Vid. c. 7. Conc. Const. et can. 7 Syn. Laod. Cf. etiam s. Basil. ad Amphiloch. c. 47 (Pitra op. cit. pag. 496, 511, 594)

in solos haereticos. Episcopus vero anathemate plectit non solum haereticos sed et qui labuntur in peccata quae canones anathemate damnant. Qui itaque fines excedentes per nefas anathematizarint, cum veniam expetunt, si ex simplici quidem motivo anathema tulerint concedatur iis venia, addita comminatione quod debito canoni subiicientur si rursus in eiusmodi excessum prolabentur. Sacerdos autem qui ex cupiditate vel turpi lucro vel ob vindictam sibi sumendam anathema protulerit, illico poena plectatur. Et qui, postquam anathema protulit, in sua persistit audacia, illico sub decreto excommunicationis costituatur. Cum autem variae sint causae quibus aliqui incitantur ad anathema proferendum, tum tempus excommunicationis, tum genus poenae sint in potestate episcopi.

XXIX Cum superius diximus sacerdoti fas haud esse nisi solos haereticos anathematizare, hinc est quod peccat sacerdos qui, extra praefatam causam, profert anathema, praecipue autem in suum collegam presbyterum vel in diaconum. Peccat maxime quoque diaconus qui anathema profert adversus presbyterum vel collegam suum diaconum, atque eo maius ipsius est peccatum, quod temere super eum, qui excelsior est ipso, sese extulerit, aut super eum qui sibi aequalis est in gradu.

Monachus (simplex) et saecularis homo, si anathema dicunt in sacerdotem aut in suos sodales, peccant et ipsi, uti patet; sciunt enim quod, cum nullam habeant potestatem anathema ferendi, nonnisi passione abrepti anathemata in illos proferant ad inurendam iniuriam contumeliamque ipsis. Necesse est ergo ut et isti redarguantur et reprehendantur ab episcopo.

XXX Non licet presbyterum interdicere nisi presbytero qui sit chorepiscopus, periodeuta aut visitator : nam hi soli potestatem habent interdicendi et solos quidem illos qui sibi subditi sunt. Extra praedictos autem non possunt interdicere nisi illum qui se subiecturum ipsorum interdicto significaverit. Ad id porro melius declarandum, dicimus quod, si contestantes inter se accedant ad chorepiscopum, aut periodeutam seu visitatorem, vel presbyterum, quibus minime ii subiacent, videatque chorepiscopus aut periodeuta etc. sententiam

non posse ferri, nisi interponatur interdictum, necesse est ut prius iuterroget eum, qui sub sua iurisdictione non est, an sese sit submissurus interdicto, et si respondet affirmative, potest eundem interdicere, et nemo illum poterit absolvere, nisi qui sit constitutus maiori in gradu, ita tamen ut fiat prius inquisitio causae, et tunc culpae reparatio. Is autem qui aliquem interdicto coercuit, poterit ab interdicto eundem relaxare.

XXXI Nefas est ut presbyter aut diaconus aut quilibet alius in gradu (ordinum) constitutus quempiam interdicat, sumendae sibi vindictae causa. Qui itaque interdictum fert ad vindictam sibi sumendam, aut alium ob pravum finem sic deinde rogatur ut ab interdicto illo constrictum absolvat, neque annuit deferatur ipsius agendi ratio ad episcopum, qui, examine instituto, si videt eundem contra fas poenam inflixisse aut iniuste eundem obstare et renuere ne ab illa absolvat, erit in potestate episcopi ut is ipse absolvat ab interdicto ab illo presbytero inflicto, imo, si ita ipsi videbitur poterit eundem presbyterum sub censura constituere.

XXXII Sacerdotes sive qui iurant, sive qui iurant iuramentumque violant, scire debent se transgredi preceptum Domini nostri Jesu Christi, qui iussit dicens : "ego dico vobis nolite ullatenus iurare„ . Qui itaque iurat (1), iuramentoque stat, peccat, et qui iurat et violat iuramentum, duorum peccatorum reus fit. Praecipiendi itaque isti sunt, ut omnino a suis oribus abiiciant usum iurandi. Et cum prima vice confitentur se iuramentum violasse, admoneantur ut suppliciter a Deo expetant veniam, ipsisque comminatio fiat quod, si postea deprehendantur iuramentum violasse, convenientem sint canonem subituri. Et, cum postquam transgressi fuerint iuramentum resipiscant, illis infligat episcopus excommunicationem iuxta delictum quod deprehendetur apud eos.

XXXIII Qui forte semet iuramento devixerit a perpetranda actione, quam putat sibi noxiam, minime fas est ut a tali vinculo ille solvatur ab episcopo.

(1) Cf. s. Basil. ad Amphil. c. 29 (Pitra op. cit. pag. 590). Cf. s. Rabbulae canones (Overbeck p. 217)

XXXIV Sacerdotes orthodoxi qui ab haereticis apprehenduntur et adiguntur, ut iurent quominus ingrediantur illorum oppidum vel alium locum, cui ipsorum ingressus aliquid emolumenti allaturus sit debent perpeti oppressionem contumeliam aliaque eiusmodi ad persistendum in non iurando propter Domini praeceptum. Quamvis autem iidem peccant in iurando, nihilominus eorum peccatum, utpote vi coactum, tenue reputatur. Praeterea si ex eorum ingressu in illum locum consequitur, incolis aliquod emolumentum, concedatur iisdem venia (dominici) praecepti violati ratione utilitatis spiritualis quam obtinuerunt consecutae animae quae illis adhaeserunt. Onus autem peccati transgressionis praecepti transferetur in haereticos, qui per nefas illos iurare compulerunt. Si porro haeretici ab iisdem exposcent libellum, illorum qui libelli causa adducentur post ipsos, quatenus iis ex animi impetu et affectu humano iuraverint, culpa equidem imputanda est illis ipsis qui iurarunt.

XXXV Cum nonnulli ex haeresi Iuliani (Halicarnassi) Alexandriam ingressi dissimulantes se esse haereticos, ibidem ab orthodoxis episcopis manus susceperint impositionem, si deinceps ad veram isti fidem redeant, tamquam qui Dei donum furto subreperint iidem reprehendantur, sufficiatque ipsis imponere canonem proprium eorum qui ex eadem haeresi convertuntur. Sin vero, instituta inquisitione, confiteantur se inde a tempore quo ordinati fuerunt sentiisse cum orthodoxis ac haeresim Iuliani reprobasse, atque propterea manum impositionem ab orthodoxis episcopis suscepisse, necesse est ut de canonis rigore aliquid illis remittatur.

XXXVI Minime decet ut presbyteri et diaconi una cum haereticis comedant (1). Quod si reperiantur cum illis comedentes reprehendantur, ita tamen eorum negotium geratur quod in aedificationem ecclesiae cedat, et quoad fieri potest, eodem quo ii inveniuntur loco tractetur negotium illud.

XXXVII Sacerdos qui cum Iudaeo comedit (2) a ministerio atque a sacro

(1) Cf. Joannis Tellensis resolutiones canonicas (Lamy p. 80) Cf. Jacobi Edess. resolutiones (ibid. p. 152)

(2) Cf. Canonem 70 Apostolorum (Pitra p. 30)

suspendatur, donec spondeat se non amplius id facturum. Similiter, si est frater vel laicus, a communione cohibeatur. Sacerdos insuper canonem subeat, quem episcopus decernet.

XXXVIII Si quis presbyter vel diaconus semet vel alios fideles excommunicant vel interdicunt, et deinceps excommunicantes ipsi et interdicentes adhaerent haereticis, oportet ut causa eius qui fit excommunicatus ad episcopum deferatur, et ubi viderit interdictum rite fuisse inflictum eandem sententiam confirmet, proinde ac si ipse illam protulerit, non autem quasi eadem ab illo qui haereticos secutus est lata fuerit. Qui enim haeresi adhaesit excommunicationem ipse incurrit, nec proinde potens est ligare aut solvere. Si e contra visum fuerit episcopo interdictum fuisse immerito inflictum, tenetur illud statim et sine cunctatione dissolvere.

XXXIX Si quis semet excommunicat vel interdicit, nequit is per se absolvere semetipsum sed eius causa deferatur ad episcopum qui inprimis illum criminabitur et reprehendet de properatione linguae in proferenda excommunicatione, et, si ita videbit, potest eidem veluti in poenam iniungere ut excommunicationem seu interdictum praetergrediatur. Quod si se interdicens voluit semet cohibere ab opere improbo aut a peccato, non est absolvendus a vinculo interdicti, cum interdictum tamquam froenum compescit eum a peccato.

XL Si quibusdam in locis viget consuetudo ut chorepiscopus ordinet vel non ordinet lectores (1), in potestate est episcopi ut id chorepiscopo permittat.

XLI Qui homicidium commisit (2), si deliberate id patravit, consistat in ordine poenitentium; et nonnisi ad finem vitae dignus fiat perfectiori gratia. Qui vero indeliberate homicidium commisit, quinque annos in poenitentia prius transigat, et exhinc fit mysteriorum particeps. Sacerdos vero qui homicidium deliberate perpetravit, necesse est ut absistat omnino a secerdotali munere adimpleatque poenitentiam laicis praescriptam. Sed si indeliberate, sicuti

---

(1) Cf. Canonem 10 syn. Antioch. (Pitra p. 459)

(2 Cf. Canonem 22 conc. Ancyrani (Pitra 447 et seq.)

laicus cohibeatur a sacris per annos quinque, et deinde ad instar laicorum communionem suscipiat eo diu quod episcopus videdbit. In posterum autem si dignus videbitur episcopo qui ministerio fungatur, fungatur.

XLII Mulier illa, quae sese ad ethnicos conferens, una cum iis sacrificium immolavit, nobis videtur subiicienda canoni XI synodi CCCXVIII patrum qui sic statuit (1) : "qui praevaricati sunt praeter necessitatem aut ablationem suarum subsatntiarum, aut praeter periculum, vel aliam pressuram, quae sub tyrannde Licinii contigit, synodo visum est, quamvis non sint illi pietate digni, tamen cum ipsis benevolentiam adhibendam. Omnes igitur qui penitus moventur pœnitentia, per tres annos infra audientes maneant si baptizati sunt, et per septem annos cum pœnitentibus, et duos per annos communicent populo tempore oblationis, quin tamen accedant„. Sciendum itaque est post evangelii lectionem et litaniam consuetudinem esse per ecclesias civitatum ut fiat oratio pro audientibus et tunc dimittuntur, et exhinc incipiunt ritum mysteriorum (i. e. liturgiam). In urbe vero regia haec obtinet consuetudo, quam credimus esse quoque aliarum urbium in occidente, videlicet, ut tum in officio matutino tum in vespertino versus finem fiat oratio pro audientibus et dimittuntur, dein ut fiat oratio pro pœniientibus et dimittuntur. Eadem porro illa oratio fit in ministerio mysteriorum et dimittuntur post evangelii lectionem (2). Quamobrem necesse est ut misera illa memorata mulier assidua sit officio ecclesiae vespertino et matutino, lectioni ss. Scripturarum, atque temporibus indicatis pro illa oratio fit, et statim dimittitur; prius per duos annos, dein per alios septem annos, quos transigere debet in ordine pœnitentium et fixis temporibus dimttatur, postquam facta fuerit pro ea oratio pœnitentium. Deinceps debet assidue

---

(1) Pitra p. 431. Iuvat notare hunc canonem 11 syn. Nicoeni accuratius exhiberi in versione nostra syriaca quam in textu graeco canonum Nicoenorum.

(2) Cf. Can. 19 conc. Laod. (Pitra 497). Porro habent studiosi rerum liturgicarum descriptos hic ritus adimplendos super audientes atque pœnitentes, indicata differentia usus ecclesiarum quoad hoc.

interesse aliis duobus annis integro officio matutino et vespertino et lectioni Scripturarum et ministerio mysteriorum. Et post adimpletum hoc modo totum hoc tempus digna evadit sacrorum mysteriorum participatione, sicut reliqui alii fideles. Oportet autem ut diu noctuque ad Deum exclamet ut sibi suum praedictum peccatum dimittatur. Quod si ipsi quidam morbus supervenit, quo moritura sit, antequam expletum fuerit tempus quod definivimus, confortetur tamquam commeatu sumptione vivificantium mysteriorum, ut cum ex hoc saeculo iis munita egrediatur, digna fiat miseratione in saeculo futuro. Quod si ex eo morbo qui lethalis putabatur, vitam hujus mundi resumit, absolvat iuxta exposita reliquum temporis quod ex dictis decem annis remanet.

Porro hoc sciendum est quamvis a Synodo tempus fuit definitum, nihilominus in potestate esse episcopi poenitenti, quem viderit efficientem fructus verae poenitentiae, illud contrahere; et si e contra in poenitente aliquid negligentiae deprehenderit a synodo definitum tempus poterit ampliare seu protrahere. Quoniam vero accepimus mulierem praedictam tempore sui lapsus praegnantem evasisse, ille partus naturae sive filius erit sive filia, iuxta consuetudinem loci dignus habeatur s. baptismate non secus ac ceteri parvuli.

Ex supradictis autem orationibus recitandis pro audientibus et pro poenitentibus ut dimittantur, illa quae super audientes fieri debet,quum dimittuntur, post evangelii lectionem et ante ministerium sanctorum mysteriorum, sic se habet :

Oratio super audientes :

Deus, qui propter excelsam tuam bonitatem, miserationes tuas copiose elargiris, dirige Domine audientes hos famulos tuos ad iustitiam tuam; atque concede illis animarum salutem, peccatorum remissionem, et indumentum iustitiae et incorruptibilitatis per Dominum nostrum Jesum Christum, cum quo tibi sit laus.

Oratio vero quae fit super pœnitentes secundum ritum in ecclesia traditum est haec :

Oratio super pœnitentes :

Deus qui his famulis tuis sensum et intelligentiam elargiris, ut tibi complaceant, et cognoscant sua delicta, et pœnitentiam agant, atque coram te procumbant. Deus qui solus es bonus et sine peccato, tu benigne et misericorditer acceptam habe eorum pœnitentiam et confessionem, atque condonator esto famulis tuis. Concede illis gratiam, intelligentiam, et virtutem penitus effugiendi peccatum atque imperium rebellionis diaboli, ut operentur omnem iustitiam et inter divum cœtum tuorum sanctorum enumerentur, atque digni fiant bonorum incorruptibilium et sempiternorum per Jesum Christum verum principem sacerdotum et principem et pastorum et animarum nostrarum antistitem, cum quo tibi decet laus . . (1)

XLIII Quod attinet ad fratres quorum sacerdotes sunt haeretici Iulianistae, a quibus ipsi sese seiunxerunt neque iis communicant, quoniam, cum accedentes ad rectam fidem, petierint ut permitteretur sibi cum illis psalmodiam concinere, simulque cum eis comedere in mensa communi, oportet ut cum iis indulgentia adhibeatur, itemque ut misericorditer agatur, tum ut sacerdotes ipsorum, opitulante Deo, erubescentes forte revertantur ad rectam fidem, tum ne ipsimet fratres haud sustinentes tantam scrupulositatem rursus in haereseos foveam relabantur. Oportet autem ut testes fide digni, qui in eodem ac ipsi oppido versantur, declarent eos minime cum sacerdotibus illis eucharisticam communionem sumere.

XLIV Quod ad sorores illas spectat quae compelluntur ut ingrediantur haereticorum ecclesiam, ut ibi canant (2) hymnos madrasche (ܡܕܖ̈ܫܐ), quin

(1) In codice Syr. Vaticano LVII cui titulus ܛܟܣܐ ܕܫܠܝ̈ܚܐ ܕܐܡܕܝܢ exhibentur cum nonnullis variantibus, binae orationes super audientes et super poenitentes.

(2) In vita s. Ephraemi legitur ipsum docuisse filias foederis hymnos dictos madrasche, quos in ecclesiis recitabant ante officium, nec non in martyriis atque in funeribus

tamen eucharisticam communionem in illa suscipiant, adhibeatur et cum eis etiam misericordia, imo et indulgentia, dummodo minime illud vertat fidelibus in scandalum atque detrimentum. Si fieri potest, obtineatur et testimonium a notis illarum quod nempe nequaquam communionem ipsae suscipiunt eucharisticam in ecclesia haereticorum in qua canunt hymnos.

XLV Monachi qui Lampetiani (1) appellantur in ditione imperii Romani, quique promiscue viri et mulieres simul cohabitant, si exposcunt pœnitentiam agere et uniri orthodoxis, necesse est ut praeprimis viri a mulieribus segregentur, deinde ut Lampetium ejusmodi flagitii auctorem ipsiusque haeresim anathemate damnent. Oprotet praeterea ut interrogentur, undenam sacerdotium habuerint ; et ubi constiterit illos a quodam episcopo sequaci concilii Chalcedonensis, vel Iulianista fuisse ordinatos, admittantur, libellum tamen non secus ac alii haeretici scribant et pœnitentiam sicuti illi agant. Quod si minime ostendant a quonam factos ipsos fuisse sacerdotes, admittantur ut laici tantum.

Absoluti sunt canones ab orthodoxis patribus
constituti numero quadraginta quinque.

(Lamy s. Ephraemi hym. t. II p. 68). Idem saepe innuit s. Doctor in suis carminibus v. g. in hymno ad normam ܕܐܠ ܪܥܝܐ qui canitur dominicis post Pentecosten ܪܥܝܐ ܪܒܐ ܢܓܘܠ ܒܗ (ܒܥܐܕܐ) ܠܬܘܪܓܡܘܗܝ. ܐܝܟ ܗܘܒܒܐ. ܩܫܝܫܐ ܢܬܚܘܢ ܣܘܥܪܢܝܗܘܢ. ܡܫܡܫܢܐ ܩܪܝܢܝܗܘܢ. ܛܠܝܐ ܡܙܡܘܪܝܗܘܢ. ܒܬܘܠܬܐ ܡܕܪܫܝܗܝܢ Pastor maior (i. e. episcopus) nectat in die festo sua commentaria (i. e. homiliam) sicuti flores, presbyteri exhibeant sua praeclara gesta, diaconi suas lectiones, pueruli suos psalmos, et pudicae (i. e. filiae foederis) suos hymnos (madrasche). Cf. canonem s. Rabbulae, ubi praescribit ut pueruli discant psalmos et filiae foederis hymnos (Overbeck p. 217)

(1) De haeresi Lampetii cf. Theodoret. hist. eccl. l. IV.

III

ORDINATIONIBUS

Praenotanda

1. Indicatio codicis

In eodem codice, unde 1^m^ documentum fuit desumptum continetur a pag. 334 ad p. 342 documentum III quod hic editur cui praefixus exstat titulus sequens: "Ritus et canones ordinationum s. Ecclesiae„. Ibi videlicet singularum ordinationum nec non dignitatum sacrarum tum delineantur ritus tum indicantur munia atque officia.

Porro quod ab auctore syro scriptum istud prodierit, atque proinde quod idem exhibeat consuetudines vigentes per ecclesias subditas patriarchatui Antiocheno dubitare haud sinunt loca ubi nomina graeca "catholici„ "metropolitae„ "chorepiscopi„ et "periodeutae„ syriace explicantur. Speciatim ita interpretatur denominationem episcopi : "nomen episcopi idem sonat lingua aramaica ac populi curator„.

2 Definitur aetas scripti

Quod autem attinet ad aetatem cui tribuendum sit scriptum de quo agitur, videtur saltem illud haud esse fine saeculi quinti posterius innuere indicia quae eidem insunt, quorum praecipua hic attingimus :

1° Inter clericos non semel memorat exorcistas, quos ait esse assumendos ex fratribus (i. e. monachis) filiis foederis, collocat illos post hypodiaconos et lectores, praescribit ab episcopo, et in pagis ex episcopi auctoritate a chorepiscopo instituendos esse per benedictionem absque manus impositione, iisdemque tribuit munus imponendi manus super energumenos et aegrotos, nulla mentione facta catechumenorum exorcizandorum. Ibidem insuper haud obscure indicatur tunc temporis extitisse frequentes excrcistas in ecclesiis non solum

civitatum sed et oppidorum.

Iamvero quae de exorcistis occurrunt in monumentis saeculi quarti et quinti ineuntis consonant adamussim hisce quae modo indicavimus: et e converso sequioris aetatis monumenta, praesertim syriaca, de exorcistis omnino tacent. Sic v. g. Eusebius Caesareensis in actis martyrum Palestinae refert de s. Romano, qui Antiochiae coronatus fuit eundem cum diaconus esset fuisse assumptum in exorcistam (1). Et synodus Seleuciensis an. 410 celebrata commemorat hypodiaconos, qui appellabantur exorcistae (2). Et in liturgia syriaca s. Iacobi Fratris Domini cum recitantur dypticha defunctorum celebrans memoriam agit exorcistarum quos recenset inter interpretes et monachos (3).

Ex quibus liceat ulterius inferre minime olim exorcistatum constituisse s. ordinis proprie dictum gradum, ita ut ex eo clericus ad superiorem promoveretur, sed potius exorcistatum pristino tempore simpliciter constitisse in potestate spirituali quam episcopus non iam per manus impositionem sed vi suae auctoritatis, benedictione concomitante conferebat uni ex clericis maioribus vel minoribus vel ex monachis assumpto hunc in finem ut manus is imponeret super energumenos ad depellendos daemones, vel super aegrotos ad sanitatem dandam. Hinc in opere "de mystico ministerio„ c. 26 dicitur quod exorcista non ordinatur (per manus impositionem), et quod ipse accipit donum sanitatum (4). (Pitra, Iur. Eccles. Gr. T. 1 p. 60).

2° Alterum argumentum ad aetatem documenti assignandam desumitur ex iis quae de diaconissis ibidem habentur. Namque praescribitur ut diaconis-

(1) Cf. versionem syriacam actorum in cod. syr. Vatic. CLX f. 181 et in edit. Bedjan T. 1 p. 211 ܪܘܡܢܘܣ ܒܐܢܛܝܘܟܝܐ ܡܕܝܢܬܐ ܐܣܗܕ . ܡܢ ܦܠܣܛܝܢܐ ܕܝܢ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ . ܗܘ ܪܘܡܢܘܣ ܘܡܫܡܫܢܐ ܐܝܬܘܗܝ ܗܘܐ ܐܦ ܡܩܪܝܢܐ ܒܚܕܐ ܡܢ ܩܘܪܝܐ ܕܦܠܣܛܝܢܐ .

(2) Vid. edit. Lamy p. 59 ܗܘܦܘܕܝܩܢܐ ܗܠܝܢ ܕܡܬܐܡܪܝܢ ܡܩܪܝܢܐ

(3) ܐܬܕܟܪ ܡܪܝܐ . . . . ܠܡܦܫܩܢܐ . ܠܡܩܪܝܢܐ . ܠܕܝܪܝܐ .

(4) Cf. etiam syn. Antioch. can. 10; syn. Laodic. can. 24, 26; syn. Carthag. IV can. 7

sae ab episcopo instituantur per orationem coniunctam impositioni manus, eaedemque dicuntur praecipue destinatae tum ministerio ungendi mulieres catechumenas ipsasque adpropinquandi ad manum presbyteri qui easdem baptizaturus est, tum tempore s. oblationis praescribitur ut diaconissae custodiant ostium illius partis ecclesiae, quam occupant mulieres, nec non ut cohibeant catechumenas ab inspiciendis mysteriis cum perficiuntur. Iam vero consentanea hisce leguntur in opere Didascalia apostolorum c. 16, nec non in cit. op. de mystico ministerio c. 20 etc.

In posterioribus autem Syrorum monumentis ex. gr. in canonibus (1) s. Rabbulae episcopi Edessae († 435) nec non in resolutionibus canonicis Joannis Tellensis qui florebat initio saeculi sexti (2), quum iam disciplina catechumenatus desuescere coeperat, diaconissae perhibentur tantummodo intra sanctimonialium monasteria inclusae.

3º Antiquitatem documenti demonstrant, quae ibi dicuntur de hypodiacono, videlicet eundem ordinari absque manus impositione, eique, praeter munus accendendi lucernas, proprium esse ecclesiae ostia aperire, atque ad illa, tempore oblationis adstare ad catechumenos a sancta oblatione cohibendos. Iamvero canones 21, 22 et 43 synodi Laodicensis idipsum repetunt.

E contra autem in nostro documento contrectatio vasum sacrorum ac infusio aquae ad manus episcopi et presbyterorum ante oblationem reservantur ex pristina disciplina diacono, dum in C. A. VIII c. 11 et in libello "de mystico ministerio„ utrumque officium assignatur hypodiacono, utique ex seriore usu.

4º Praeterea documentum nostrum praeterit sub silentio nomen patriarchae, et super metropolitam collocat episcopum quem dicit catholicum i. e. universalem (3). Haud liquet autem utrum isto nomine designetur Antiochenus

(1) Overbeck, op. selecta etc. p. 219

(2) Lamy, resolutiones etc. p. 86 et seqq.

(3) Vid. infra in versione textus c. II, 8, 20

patriarcha, an orientis primas, qui speciatim catholicum appellabatur, ex eo quod praeesset metropolitis illarum provinciarum quae erant subditae regno Persarum.

5º Tandem, ceteris omissis, in eodem documento nostro praescribitur arcani disciplinam stricte esse custodiendam (1).

Iure itaque meritoque ex dictis concludendum est praesens documentum de ordinationibus referendum esse ad quartum vel initium quinti saeculi.

---

(1) Vid. infra versione textus c. II, 14

I

Ritus et canones de ordinationibus quae in s. ecclesia fiunt

1 Qui ad suscipiendum complementum principatus sacerdotii accedit, provolutus duobus genibus coram altari procidit, dum super eius caput imponuntur divina verba sancti Evangelii una cum manu pontificis (consecrantis). Ita igitur eiusmodi ritu ille perficitur per pontificem (consecratorem) qui eum perficit per invocationes sanctas quae fiunt super ipsum.

2 Qui autem in sacerdotem ordinatur et ipse provolutus duobus genibus coram altari procidit, quum imponitur super eius caput manus dextera pontificis. Hoc itaque ritu ille sacratur a pontifice, qui eundem perficit per invocationes conferentes sacerdotium.

3 Diaconus vero flectit unum i. e. dexterum genu coram altari, quum super eiusdem caput imponitur manus dextra pontificis qui illum perficit. Ab eodem itaque ille perficitur per invocationem, idest per orationes, quibus diaconi efficiuntur.

4 Singulos autem ex praedictis, post invocationem et ordinationem sanctam, signat ordinans pontifex signo crucis. Item de singulis eorum fiat promulgatio sancta, et enuntietur pax perficiens, et tunc omnes et singuli sacerdotes qui reperiuntur in ordinatione et imprimis ipse pontifex ordinans dent pacem illi qui ordinatur in unum ex ordinibus sacerdotii (1).

---

(1) Cf. pseudo Dionys. Areopagit. de Hierarchia eccles. V, 2, ubi describitur summarius ritus singularum ordinationum iisdem ac nostri libelli verbis.

II

Quid singuli qui in gradibus s. ordinis constituti sunt habeant potestatem agendi in ecclesia.

1 Episcopus est Christi locum tenens (1). Nomen porro episcopi idem sonat aramaice ac populi curator. Habet ille sacerdotii potestatem, ut per illum efficiantur presbyteri, diaconi, hypodiaconi, lectores et exorcistae. Hanc namque potestatem suscepit ex oratione episcoporum, qui illum sacrarunt in episcopum ex gratia Spiritus quae per orationes eorundem ipsi conceditur.

2 Presbytero similiter tribuitur ab episcopo, qui ipsum ordinat per gratiam Spiritus, ut oblationem offerat, oleum consecret (2), aquam baptismi

---

(1) Cf. Epist. s. Ignatii m. ad Rom. IX, 1.

(2) Exinde apparet inter munia presbyteri et illud recenseri nempe consecrandi, non iam s. chrisma, sed oleum catechumenorum, quod vocat sanctitatis, quod alibi dicitur orationis. Id autem ccmprobatur et ex usu hanc in diem vigente in ritu Byzantino, Alexandrino et Chaldaeo, ut nempe praesbyter in conferendo baptismo oleum benedicat eoque ungat baptizandum. Cf. praedicta ritualia. Apud Syros autem etsi solet idem catechumenorum oleum ab episcopo benedici extra baptismum, nihilominus praescribitur in libro pontificali, ut post episcopum singuli presbyteri adstantes recitent super idem oleum formulam benedictionis, illudque signo crucis signent. ܒܬܪ ܕܐܬܩܕܫ ܘܠܡܥܡܘܕܝܬܐ ܕܡܘܪܘܢ ܩܕܝܫܐ . ܡܩܪܒܝܢ ܡܫܚܐ ܕܟܝܐ ܕܙܝܬܐ ܒܡܐܢܐ ܘܐܚܝܕ ܠܗ ܚܕ ܡܢ ܩܫܝܫܐ ܘܡܩܪܒ ܠܗ ܩܕܡ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܘܐܡܪ ܥܠܘܗܝ ܨܠܘܬܐ . ܘܒܬܪ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܟܠܗܘܢ ܩܫܝܫܐ ܕܩܝܡܝܢ ܐܡܪܝܢ ܠܨܠܘܬܐ ܘܚܬܡܝܢ ܠܗ ܒܬܠܬ ܨܠܝܒܐ . ܗܘܐ ܕܝܢ ܕܢܬܚܫܚ ܗܘ ܒܥܡܕܐ ܗܢܘ ܒܡܥܡܘܕܝܬܐ . Post consecratum s. myron afferant oleum purum olivarum in vase quod tenens presbyterorum unus protendit ante episcopum, et episcopus recitabit super illud orationem (benedictionis) et post episcopum omnes sacerdotes qui adstant recitabunt eandem orationem et signabunt illud

sanctificet, et populum regat. Non habet autem potestatem faciendi diaconum, aut hypodiaconum, aut lectorem aut exorcistam : non enim ei illa potestas fuit collata per orationem presbyteratus quem suscepit. Quod porro non recepit, nequit aliis dare. Sacerdotium tantum ipsi fuit concessum.

3 Diaconus vero tenet locum levitae. Quamobrem sicuti haud licebat levitae offerre sacrificium, sed eidem officium tantummodo incumbebat ministrandi, videlicet iugulandi animal quod offerebatur, illud lavandi, disponendi, et nonnisi sacerdos sacrficium offerebat, ita diaconus potestatem non habet oblationem offerendi, neque consecrandi aquam (baptismalem), aut oleum, neque ullum faciendi opus sacerdotii, neque tamquam praeses orationem celebrandi in conventu, dum adest presbyter. Absente vero presbytero, canones statuunt ut diaconus tunc oret secreto in semetipso, et, absoluta oratione, ut dicat : amen, et post ipsum, universus coetus quoque repetat : amen. Hunc ordinem servet sive in ecclesia, sive in quolibet alio loco.

Nulla est diacono facultas interdicendi, ex eo quod minime sacerdotium habet, sed est levita, quemadmodum supra notavimus. Imo ipsum schema exterius quod is praesefert dum vacat ministerio suo, gerendi videlicet orarium impositum humero sinistro (1), significat eundem prorsus esse ministrum.

Ita igitur a Christo Domino nostro, qui est princeps et magister summorum pontificum et sacerdotum, reperimus traditos cunctos gradus ecclesiasticos, qui in eo inclusi erant, et ab ipso receperunt sacerdotium et ministerium apostoli ad quod fuerunt iidem electi ac destinati, nec non et beatus Stephanus

---

signis crucis. Adhibetur autem illud oleum ad ungendos baptizatos„ Vid. cod. syr. Vatic. II f. 36

(1) Inter opera spuria quae sub nomine s. Joannis Chrys. circumferuntur homilia exstat in parabolam de filio prodigo, in qua de orario diaconi sic legitur "Ministri sacri officii, imitantes angelorum alas tenuibus suis lineis velis, quae sinistris humeris insident, in ecclesia discurrunt clamantque : ne quis ex catechumenis, ne quis eorum, qui non edunt„ etc. Edit. Migne s. Joan. Chrys. T. VIII col. 520

eiusque socii.

Si adest diaconus in pago cui non est presbyter, neque sit vicinus alius presbyter in eodem pago, neque quilibet alius, qui praemineat ceteris incolis eiusdem pagi, facultatem habet (ille diaconus) infligendi delinquenti poenam, quae digna sit delicto ipsius. Non tamen facultas est ipsi offerendi oblationem. Sed suscipiens panem, quem offert pagi populus, deferat ad proximum pagum, et cum eundem panem presbyter illius pagi consecraverit, sumat oblationem consecratam diaconus et afferat ad suum pagum, distribuatque populo dicens tantum : amen. Nefas tamen est ut is, cum diaconus sit, (extollens vocem) dicat : pater noster qui es in coelis, vel : "Sanctum sanctis„ (1).

5 Hypodiaconus facultatem habet concinnandi lampadem, accendendi lucernas, aperiendi ostia ecclesiae, standi tempore officii ad portas, atque sua voce arcendi cohibendique audientes, ne accedant ad sanctum (sacrificium) neque commorantes maneant tempore oblationis (2). Induitur autem tunicam, ut et habitu distinguatur a diacono (3).

6 Lector hunc in finem fit, ut coram cœtu legat libros sacros, excepto sancto Evangelio.

---

(1) Non solum in liturgia C. A. l. VIII c. 13, sed et in cunctis orientalibus liturgiis celebrans ante communionem elevans s. oblationem exclamat "sancta sanctis„. In sola liturgia chaldaica praedicta exclamatio profertur in singulari, uti in liturgia ad quam alludit documentum nostrum. "Sanctum, ait celebrans, sanctis decet in perfectione„ ܩܘܕܫܐ ܠܩܕܝܫܐ ܝܐܐ ܒܫܘܡܠܝܐ

(2) Cf. quae in praenotandis 3° diximus de hypodiaconi officiis. Animadvertendum est autem hic obiter canonem 21 syn. Laodiceae in quo dicitur "non oportet hypodiaconos . . . dominica vasa contingere„ satis aperte innuere nonnullos hypodiaconos id sibi arrogare coepisse.

(3) Hypodiaconi solam tunicam induebant, eaque tamquam veste distinctiva a diaconis distinguebantur : proindeque nondum, tempore quo nostrum scriptum editum fuit, utebantur hypodiaconi orario Cf. can. 22 Laodic.

7 Exorcistae ex fratribus filiis foederis (1) sumptio instituuntur, quin illis imponatur manus, per solam episcopi auctoritatem (2).

Si quis porro presbyter sit in pago aliquo, ubi deest exorcista, nequit presbyter ille absque episcopi consilio facere (3). Notae enim sunt formae singulorum ordinum conferendorum, et quemadmodum formae ab invicem distinguuntur et differunt, ita et oratio quae super singulos ordinandos fit coram altari.

8 Cum quis in episcopum consecratur, tollentes episcopi Evangelii sancti codicem, illum apertum imponant super ipsius caput, cum praeses eorundem episcoporum, a quibus is consecrandus est, i. e. metropolita, recitat notam illam orationem cum impositione dexterae suae super eiusdem caput infra Evangelii codicem. Non est autem consecrandus episcopus nisi praesentes sint tres episcopi (4), imo neque tres praesentes possunt episcopum consecrare absque catholico vel metropolita, quemadmodum et Dominus noster dixit: ubi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, sum in medio eorum (Math. XXIII, 20). Cum autem praeses episcoporum super illum multa precatur, episcopi etiam, qui cum eo sunt, a Deo quoque implorant, ut ex gratia Spiritus Sancti eidem concedatur, ut instituat presbyteros, diaconos, hypodiaconos, lectores, exorcistas et diaconissas, utque, ipso mediante, singulis ordinandorum tribuatur gratia Spiritus et ministerium ad quod quisque destinatur.

9 Cum diaconus promovetur ab episcopo ad presbyteratum introducatur ante altare cum indutus sit schema diaconatus, provolutusque super utrumque

(1) Qui in priscis monumentis Syrorum filii fœderis dicuntur, sunt illi qui sese Deo voventes continentiam observabant, manebantque sive in privatis suis domibus, sive in aedibus ecclesiae vel in monasteriis. Cf. Canones s. Rabbulae apud Overbeck p. 213 et seqq.

(2) Cf. dicta in praenotandis 1° de exorcistis.

(3) I. e. facere seu instituere exorcistam.

(4) Cf. Can. 4 Nicoen.; C. A. I. VIII, 4; Can. 19 Antioch.

genu procidat. Recitat episcopus super eum orationem, dum dexteram manum super ipsius caput imponit, exorans Deum, ut ex Spiritu Sancto tribuatur ipsi, ut offerat oblationem, consecret oleum, et aquam baptismi, et mediator existat Deum inter et homines, et potestatem habeat ligandi et solvendi quemlibet quem voluerit propter opus atque causam quae ad hoc incitat, et id meretur. Siquidem eiusmodi potestatem recepit a Spiritu Sancto, per illum qui ipsum ordinavit.

10 Ordinandus in diaconum si ex hypodiaconis assumitur, postquam pallium ab eo ablatum fuerit, illum introducant, innuantque ipsi ut super unum genu dexterum provolutus procidat, atque episcopus, manum dexteram super eius caput imponens, orat super eum orationem, haud tamen illam propriam presbytero ordinando, poscitque a Deo, ut quoque illi concedatur, quod non habebat, i. e. ut accedat ad vasa sacra, seponat panem oblationis, infundat in calice (vinum) eucharisticum et misceat illud moderate, et disponat oblata super altare, provideat decori altaris, teneat flabellum, adimpleatque officia tempore oblationis, praedicet litanias, infundat aquam super manus episcoporum et presbyterorum ante consecrationem oblationis (1). Non habet tamen ille (i. e. diaconus) potestatem conferendi baptismum, si presbyter praesens est. Nihilominus, si necessitas aliqua imperat, ut id fiat, conferat diaconus baptismum. Misceat nempe aquam adhibeatque oleum unctionis consecratum ab episcopo aut presbytero (2) ad signandum (baptizandum) signo crucis Christi Dei. Non licet tamen ei Spiritum Sanctum invocare super aquas baptismales (3). Quibus ita peractis, baptizandum baptizet in aqua in nomine Trinitatis, et post haec praebeat ei eucharistiam consecratam a sacerdote. Ut

(1) Hic recensentur varia munera diaconorum. Cf. etiam quae dicta sunt supra in praenotandis 3° de infundenda aqua ad manus episcopi et presbyterorum.

(2) Exinde eruitur oleum unctionis tum ab episcopo extra baptismum tum etiam a presbytero intra baptismi ritum benedici posse. Vid. supra ad pag. 57

(3) Scilicet fas diacono non est ut fontem baptismalem benedicat.

autem superius diximus, nullam omnino habet diaconus potestatem consecrandi olei, neque potest interdicere quempiam.

11 Hypodiaconus porro sic fit : si ordinandus assumitur ex lectoribus aut ex fratribus filiis foederis (1), ingrediatur ad altare tunica indutus; oretque (episcopus) super eum orationem propriam a patribus nostris sanctis institutam, minime vero illam destinatam efficiendo episcopo, vel presbytero aut diacono. Non autem manum imponit capiti eius cum super illum orat praedictam orationem, qua absoluta, signat illum pollice manus dextera ter in fronte signo crucis Salvatoris nostri.

12 Lector deinde sic fit : is quoque indutus tunica introeat; oratque episcopus super eum orationem notam, qua absoluta, tradit ipsi librum unius ex s. prophetis (2), quo exprimit potestatem dari ipsi legendi Codices sanctos coram populo.

13 Exorcista autem, ut supra diximus, minime ei manus imponitur; neque ad instar hypodiaconi et lectoris ante altare eum introducunt. Sed episcopus iubendo iubet ipsum fieri exorcistam, cum benedicit illi ut manum imponat super energumenum et aegrotum (3).

14 Diaconissam introducunt in diaconicon, ut episcopus super illam oret. Cum itaque constituerit ipsam e facie altaris, eademque caput inclinaverit, episcopus, manum capiti ipsius imponens, orat super illam orationem notam, minime vero similem orationi propriae ordinationi diaconi. Diaconissa non debet ad altare accedere, sed tantummodo ungit in baptismo, in hoc enim praecipue consistit eiusdem opus. Cum scilicet mulieres vocantur ut signaculum vitae per baptismum suscipiant, ne lascivia contaminet ecclesiam Dei, quin imo ut omnia ordinate et caste procedant, cumque haud deceat ut

---

(1) Vid. superius notam de filiis foederis.

(2) Exinde colligitur lectoris munus fuisse legendi in s. synaxi lectiones ex V. T. et nominatim ex prophetis.

(3) Cf. exposita supra de exorcistis in praenotandis 1°

diaconi ungant mulieres, ne aspiciant earundem nuditatem, beati apostoli idcirco tradiderunt nobis, ut viros quidem accedentes ad suscipiendum signaculum novae vitae diaconi adducant ungantque oleo sanctitatis, neque quivis alius iis appropinquare potest, sive hypodiaconus, sive lector sive exorcista fuerit. Laicus autem vel laica etiam filius foederis ne inspicere quidem possunt illum, qui a diaconis ungitur, ne despectui mysteria sancta obiiciantur. Hanc etiam ob causam beati apostoli non iam per scripta, sed per oralem tantum traditionem transmiserunt nobis mysteria, ut nonnisi presbyteri et diaconi illa cognoscant, non autem quilibet. Diaconissae itaque ad hoc fuerunt institutae, ut ungerent mulieres suscepturas signaculum. Quum enim incongrunm sit, ut sacerdos mulieres baptizans adspiciat nuditatem earundem, is tantummodo manum, obducto in medio velo, expandit, et diaconissa admovet sub manu sacerdotis mulierem baptizandam, et ipse suam imponens manum eius capiti, quin eam intueatur, baptizat illam trina vice in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; non secus ac diaconi admovent baptizandum sacerdoti qui, manum ponens super caput eius, illum baptizat (1).

---

(1) In pontificali Syrorum ex Iacobi Edesseni resolutionibus (Lamy p. 126) desumpta legitur sequens adnotatio : ܡܫܡܫܢܝܬܐ ܫܘܠܛܢܐ ܠܝܬ ܠܗ̇ ܒܡܕܒܚܐ܆ ܟܠ ܟܠܗ ܡܛܠ ܠܗ̇ . ܡܛܠ ܕܐܦ ܟܕ ܡܬܬܣܝܡܐ ܒܥܕܬܐ ܕܠܒܪ ܩܝܡܐ . ܫܘܠܛܢܐ ܕܐܝܬ ܠܗ̇ ܗܢܘ . ܕܬܟܢܫ ܩܕܡ ܡܕܒܚܐ . ܘܬܢܗܪ ܢܘܗܪܐ ܒܒܝܬ ܩܘܕܫܐ . ܘܗܠܝܢ ܟܕ ܠܝܬ ܩܫܝܫܐ ܐܘ ܡܫܡܫܢܐ ܕܩܪܝܒ ܆ ܡܫܟܚܐ ܕܝܢ ܕܬܦܩ ܐܪ̈ܙܐ ܡܢ ܓܠܘܣܩܘܡܐ ܐܡܬܝ ܕܠܝܬ ܩܫܝܫܐ ܐܘ ܡܫܡܫܢܐ ܘܬܬܠ ܠܢܫ̈ܐ ܐܘ ܠܛܠ̈ܝܐ . ܡܢ ܡܕܒܚܐ ܕܝܢ ܠܐ ܡܫܟܚܐ ܕܬܣܒ ܐܢܘܢ . ܘܐܦܠܐ ܕܬܣܝܡ ܐܢܘܢ ܥܠܘܗܝ . ܘܐܦܠܐ ܕܬܓܫܘܫ ܒܗ ܟܠ ܟܠܗ ܒܐܝܕܗ̇ ܡܢܐ . ܘܟܕ ܡܬܥܡܕ̈ܢ ܢܫ̈ܐ ܡܫܡܫܢܝ̈ܬܐ ܕܩܝܡ̈ܢ ܠܘܬܗܝܢ ܐܝܟ ܕܢܚܙܝܢ ܒܗܝܢ ܟܗܢܐ . ܘܡܫܟܚܐ ܘܡܫܦܐ ܬܫ̈ܐ ܕܥܡܕ̈ܢ . "Diaconissa nullam omnino habet potestatem in sanctuario, quoniam cum ordinatur in ecclesia stat (minime autem in sanctuarium introit). Universa eius potestas haec est : ut verrat coram altari, accendat lumina in sanctuario dummodo presbyter aut diaconus absint. Potest in defectu presbyteri et diaconi extrahere mysteria ex theca eucharistica et ea praebere mulieribus vel pueris. Non potest autem ex mensa sancta illa desumere, neque super illam ea disponere, neque ullatenus ipsam

Praeterea diaconissae tempore ministerii oblationis stant ad ostium ecclesiae in illa parte quae occupatur a mulieribus, ne viri stent cum mulieribus ingrediaturque sic in ecclesiam Dei lascivia. Diaconissae insuper cohibent mulieres, quae nondum susceperunt signaculum ab intuendis mysteriis eum perficiuntur, atque ab audiendis verbis sacris. Tandem incumbit diaconissis munus hortandi filias fœderis aeque ac laicas ut recte se gerant (1).

15 Qui probe cupit addiscere ea quae spectant ad ordinem et mysteria, sufficiunt illi epistolae, quas ad Timotheum et Titum suos discipulos scripsit beatus Paulus, : in iis enim docet quot 'annorum oportet ut sint promovendi ad illos gradus et quomodo se debeant gerere tum si viri tum si mulieres fuerint.

16 Chorepiscopus idem sonat ac episcopus pagorum (2). Non autem manus ipsi imponitur, neque super eum fit oratio. Est ille presbyter, cui solummodo impertitur episcopi benedictio coniuncta cum auctoritate, data eidem facultate ut visitet (pagos) quoad placuerit praedicto episcopo, cui est, cum voluerit, eundem removere. Locus eius in sedendo erit sicuti erat tempore sui presbyteratus, et postquam remotus fuerit fungatur ministerio uti tempore presbyteratus, et in eodem loco ubi prius erat.

Si autem dignus habetur qui fiat episcopus, suscipiat manus impositionem in episcopum et non secus ac quivis alius presbyter consecretur iuxta canonem et ritum episcopatus.

Porro ante aliquod tempus episcopus facultatem concedebat chorepiscopo ut per pagos institueret hypodiaconos, lectores et exorcistas, quoniam nequaquam his conferebatur manus impositio sed cum postea congregata est in

---

vitae mensam tangere. Cumque mulieres adultae baptizandae sint, iubente sacerdote, diaconissa eas ungit; visitat et mulieres aegrotas eisdemque inservit.

(1) Vid. quae supra de diaconissis exposuimus in praenotandis 2°

(2) Cf. Syn. Antioch. can. 10 et syn. Laodic. can. 12

Laodicea synodus quingentorum sexaginta et septem episcoporum decrevit ne amplius chorepiscopus ista faciat (1).

17 Presbyter in praesentia episcopi et archidiaconi, nequeunt interdicere quempiam : si autem coram ipsis cuiusdam causa diiudicatur, dignusque ille interdicti censeatur, certiores faciant episcopum et archidiaconum, qui illum interdicet.

18 Presbyteri pagorum facultatem habent interdicendi subditos suos si deliquerint. Sin vero interdictus confugit ad episcopum, ad eum appellans ab interdicto sibi inique inflicto, non debet episcopus (immediate) sua potestate uti, sed arcessito prius presbytero illo, in rem iure inquirat, et, si deprehenderit illum hominem, quisvis ille sit, iniuste fuisse interdictum, iniungat illi presbytero ut interdictum a censura solvat, moneatque eundem presbyterum quod nequaquam licitum sit ipsi ut absque maturo iudicio quempiam interdicat.

19 Quae diximus de chorepiscopo applicanda sunt et periodeutis (2). Periodeutae autem una cum presbyteris, diaconis et lectoribus sunt omnes sub potestate chorepiscopi, cui est illos erudire, admonere atque etiam plectere si deliquerint singulis inflicta pro sua culpa opportuna poena.

20 Catholicus (3) idem sonat ac universalis, metropolita pater civitatis, episcopus curator populi, chorepiscopus curator pagorum, periodeuta circulans.

21 Ante quamlibet manus impositionem episcopus qui manum imponit dicat uti sequitur : "Gratia Domini nostri Iesu Christi, quae quavis tempore supplet id quod deficit, per beneplacitum Dei et virtutem Spiritus Sancti etiam modo elegit N ex loco N ad ecclesiam quae hic est. Deprecemur omnes

---

(1) Inter quinquaginta novem canones synodi Laodicensis nullus est qui interdicit chorepiscopis, ne per pagos ordinent hypodiaconos, lectores et exorcistas.

(2) Cf. syn. Laodic. can. 57

(3) Recole quae de "Catholico" diximus in praenotandis 4o

(itaque) pro eo, ut super eum gratia Dei veniat (1).

Si ordinandus in ipsa ecclesia ordinatur pro qua fit sive episcopus, sive

---

(1) praestat modo quae sparsa in isto libello occurrunt de maioribus sacris ordinationibus hic simul colligere et veluti ob oculos ponere.

a) Qui itaque in episcopum vel in presbyterum ordinatur ab auctore nostro iubetur coram altari utroque genu procumbere ad manus inpositionem suscipiendam; qui vero in diaconum ordinatur unum tantum genu i. e. dexterum coram altari flectit. Item et diversarum orientalium ecclesiarum pontificalia praescribunt.

b) Singularum sacrarum ordinationem ritus sequentes innuuntur: 1. proclamatio seu publica notificatio electi ad suscipiendum ordinem sacrum; 2. eius proprie dicta ordinatio per orationem cum manus impositione; 3. promulgatio factae ordinationis cum signatione signo crucis; 4. tandem salutatio eiusdem ordinati osculo pacis.

De singulis notanda sunt pauca :

Proclamatio seu publica notificatio electionis fit per solemnem illam vetustam formulam cunctis ecclesiis orientalibus communem, quae sic se habet: "Gratia Domini nostri Jesu Christi, quae supplet id quod deficit, per beneplacitum Dei Patris et virtutem Spiritus S. elegit N. etc.„,* et statim fit adhortatio ad invitandos adstantes ad crandum ut super electum adveniat Dei gratia. Porro in ritibus Byzantino, Maronita et Chaldaeo eiusmodi proclamatio fit ab episcopo, in ritibus vero Alexandrino et Antiocheno enunciatur ab archidiacono. Perspicuum est autem tum ex ipsius formulae contextu tum ex eo quod in ritu Alexandrino et Antiocheno eadem proferatur ab archidiacono minime illam constituere formam ordinationis, sed tantum esse publicam declarationem nutu divinae gratiae factam fuisse electionem viri promovendi ad ordinem sacrum.

Ordinatio autem proprie dicta fit per orationem illam dictam "invocationem S. Spiritus„ quam recitat episcopus dum imponit manum super caput illius qui ordinatur. Dicitur illa oratio invocationis oratio consecratoria vel ordinatoria, et in ea praecipua ordinis qui confertur officia indicantur. Porro in ritu Alexandrino et Antiocheno Syrorum eiusmodi oratio invocationis una exhibetur: item et in Testamento Domini, nec non in mystico ministerio : e contra in ritu Byzantino nec non in Chaldaico binae

---

* Huic respondet in ritu latino "auxiliante domino Deo salvatore nostro J. Chr. elegimus in ordine diaconi vel prespyteri illum subdiaconum sive diaconum etc. (Muratori Liturgia Rom. vet. T 1 pag. 511)

presbyter, sive diaconus, oportet ut episcopus ordinans dicat hoc modo : "quem in ista ecclesia facimus„. Si autem ordinatur ad aliam ecclesiam urbis vel

---

recitantur orationes ordinatoriae ab episcopo, qui in utraque proferenda manum imponit super caput ordinandi; in ritu vero Maronitarum tres exstant orationes ordinatoriae quae sibi succedunt. In gratiam interim studiosorum rerum liturgicarum iuvat animadvertere binas orationes ordinationis presbyteratus in ritu Byzantino quas interrumpit litania diaconalis efformatas esse ex una oratione quae legitur in ritu Antiocheno Syrorum in ordinatione presbyteri.

Post collationem per manus impositionem et orationem ordinatoriam ordinis sacri, fit solemnis promulgatio ordinationis perfectae et tunc temporis ab episcopo imprimitur in fronte ordinati signum crucis cum invocatione s. Trinitatis.

Postremo ordinatus, postquam mensam fuerit osculatus, salutatur osculo pacis tum ab episcopo tum ab adstantibus ex clero.

Hac occasione notandum quoque volumus neque in libris pontificalibus neque in aliis orientalium rituum monumentis vestigium ullum occurrere unctionis cum s. chrismate adhibendae in ordinatione presbyteri. Et quod ad Syrorum ritum attinet, in homilia proferenda post consecrationem chrismatis, quae in codicibus tribuitur Antonio Tagritensi Rhetori, qui IX saeculo florebat, diserte dicitur ܟܗܢ̈ܐ ܕܝܢ ܘܡܫܡ̈ܫܢܐ ܕܡܬܦܣܩܝܢ ܝܘܡܢܐ ܡܢ ܪ̈ܫܝ ܟܗܢܐ ܠܘ ܒܡܫܚܐ ܕܡܘܪܘܢ ܡܫܝܚܝܢ ܠܗܘܢ ܐܝܟܢܐ ܕܡܫܚ ܗܘܐ ܡܘܫܐ ܠܐܗܪܘܢ ܘܠܒܢܘܗܝ. ܐܠܐ ܟܕ ܣܝܡܝܢ ܐܝܕܝܗܘܢ ܥܠܝܗܘܢ ܐܝܕܐ ܡܫܝܚܘܬܐ ܪܘܚܢܝܬܐ ܠܡܘܗܒܬܐ ܕܪܘܚܐ ܩܕܝܫܐ ܡܩܒܠܝܢ. "sacerdotes et diaconos quos ordinant pontifices hodie, non iam, ut Moyses ungebat Aaronem et eius filios, ungunt unctione chrismatis, sed ipsis imponunt manus, quae impositio manus est unctio spiritualis per quam iidem gratiam Spiritus S. suscipiunt„. Imo ipse s. Ephraem idem docet in hymno ad tonum ܡܢܘ ܗܢ ܗܘ ܡܘܬܐ ܗܘ, qui canitur in officio sacerdotum defunctorum. Ait enim ܐܘ ܟܗܢܘܬܐ ܡܫܒܚܬܐ ܚܘܝ ܠܝ ܓܙ̈ܝ ܥܘܬܪܟܝ. ܕܐܡܠܐ ܓܙܐ ܕܣܘܟܠܝ. ܡܢ ܡܥܠܬܟܝ ܡܪܝܡܬܐ. ܐܘ ܡܥܠܬܐ ܕܐܠܗܘܬܐ. ܡܥܒܕܢܝܬܐ ܕܐܢܫܘܬܐ. ܐܘ ܡܫܚܠܦܬܐ ܕܐܠܗܘܬܐ ܕܐܪܙܐ ܕܒܪ̈ܝܬܐ. ܠܗܘ ܟܠ ܡܠܐ ܘܡܫܝܚܐ. ܡܢ ܟܗܢܘܬܐ ܕܡܫܝܚܐ. "O gloriosum sacerdotium ostende mihi gazas divitiarum tuarum, ut impleam thesaurum meae

pagi, dicat "quem ad ecclesiam loci N pro qua modo constituitur episcopus, vel presbyter, aut diaconus„. Debet et enunciare nomen viri qui ordinatur (1)

. . . .

---

mentis ex tuis novis opibus. O sublime sacerdotium quod se demittens concessum fuit terrestribus! O speculum cuius radii per hominum generationes diffusi sunt! Prisco populo datum est cornu et oleum; nobis vero est concessum sacerdotium Christi„.

(1) Mutilus est codex, proindeque cetera desiderantur.

IV

EPISTOLA

ANTHIMI PSEUDO — PATRIARCHAE

AD

IACOBUM EPISCOPUM EDESSAE

Praenotanda

Sub numero IV prodit epistola Anthimi pseudo - patriarchae Constantinopoleos ad Iacobum Edessae monophysitarum episcopum, quam in lucem vulgamus ad fidem codicis syriaci olim Scharfensis, hodie Vaticani Borgiani signati n. CXLVIII fol. 187 v. — 188, cum indicatione quoque variantium lectionum ex codice syriaco bibliothecae nationalis Parisiensis n. 62 fol. 254 v.

Memoratus Anthimus est ille, quem, cum, ortodoxo ac pio Epiphanio Constantinopolitano patriarcha defuncto, sedem illam usurpaverit, Agapetus Romanus pontifex an. 536 anathemate percussit, praedictae ecclesiae praeficiens Mennam.

Iacobus vero, qui titulo Edessae episcopi (1) per nefas insignitur, est celeberrimus ille cognominatus Baradaeus, qui monophysitarum sectam per orientem fere labentem erexit, diffusit atque fulcivit. Oriundus ex Tella urbe Mesopotamiæ, monasterium Phsiltæ (2) ingressus est, iamque presbyter anno 528 venit Constantinoplim Theodorae imperatricis gratiam sollicitandi causa, ibique commoratus est usque ad annum 543, quo Theodosius Alexandrinus aliique monophysitae antistites, cum considerarint per orientem suae sectae episcopos clerumque ad paucos reductos, in quodam castro iuxta Byzantium, favente praedicta Theodora imperatrice, ipsum sacrarunt episcopum nominetenus quidem Edessae, reapse autem cum iurisdictione in universas monophysitarum ecclesias per Syriam, Asiam minorem etc. Quare, ad monophysitarum factionem longe lateque propagandam, peragravit ipse provincias orientis consecrans per-

(1) Tunc tempore orthodoxus episcopus Edessae erat Amazonius.

(2) Praeter monasterium Stratelis situm prope Tellam, quod teste Joanne Asiae vocabatur Phsiltae, alterum monasterium nomine Phsiltae in ditione Antiochiae exstabat, uti legitur in subscriptione cod. syr. Londin. addit. 14539 fol. 498

multos episcopos, innumerosque presbyteros diaconosque usque ad centum millia uti fertur (1). Hinc est quod monophysitae tum per Syriam tum per Aegyptum ab haeretico isto Iacobo nuncupati fuerint Iacobitae.

Porro in edenda eiusmodi epistola illud nobis proponimus, ut palam innotescat ipsum Anthimum acerrimum monophysitarum fautorem non immerito graviter reprehendisse Iacobum illum, quem Syri et Aegyptii suae sectae reparatorem appellant, non tantum quod praeter necessitatem ordinationes innumeras fecerit, sed quod ipsa sacrae scripturae praescripta ecclesiasticosque canones violaverit in promovendis ad maiores gradus bigamos aliosque indignos.

(1) Cf. Klein. Iacobus Baradaeus, de Sticher der syrische monophysitische Kerk

Sancti (1) Anthimi episcopi Constantinopoleos exemplar epistolae ad Iacobum episcopum Edessae

Amatori Dei dilecto filio spirituali
Iacobo episcopo Anthimus

Ex plurimorum fratrum testimonio compertum nobis est evangelicis adamussim institutis rationem tuae vitae conformari. Quare et nos, qui ex apostoli dicto scimus tamquam ad nos pertinere rectam filiorum nostorum vivendi rationem, tum gratulamur tibi de iis quae agis, tum volumus ut munere tibi credito ita fungaris ut nemini sive exterorum sive nostrorum praetextus ullus exhibeatur vituperationis, quin imo ut a te omnia accurate et recte peragantur. Qui enim fieri potest ut quis vel paulisper immutet dictum Iacobi Apostoli de fide et operibus (c. II, 17 etc.)? Nisi enim immaculatae vitae gerendae ratio sit, uti exoptamus, quid prodest quod quis impendat operam ad fidem stabiliendam, evertat autem vim sacrorum canonum in quibus consistit ordo ecclesiasticus et fulcimen eius?

Neque arbitrandum est, negotium ad effectum adduci et perfici per innumeram multitudinem inconsulto coacervatam. Tale enim consilium saeculare est propriumque carnalibus hominibus. Nos vero debemus prae oculis habere dictum illud sapiens et admonitorium "ne concupiscatis multitudinem filiorum sine utilitate", cui adnectitur immediate "unus enim melior est quam mille". Siquidem perspicuum est filium probum et timentem Dominum esse praestantiorem iis, qui non sunt tales.

Neque fallat vos cogitatio illa quod augendae sint sacerdotum ordinationes

---

(1) Anthimum haereticum pseudo-patriarcham amanuensis monophysita per nefas titulo sancti exornat.

forsan propter inopiam illorum qui manus impositiones conferant, ut scilicet consulatur extensioni temporis, quasi non aliter ac cum fructus colliguntur ut in tempus serventur et, instante necessitate, distribuantur. Ne imitemur facinus filiarum Loth, cum ex connubio obsceno et reprobo genuerint filios, qui ipsarum stultitiam revelarunt. Profecto si illae turpe consilium suum patri detexissent, ab eo sane didicissent Dominum amatorem hominum cum mundum perdendum decrevit nequaquam generis humani procreationem ac successionem sua providentia neglexisse. Qui talia opinantur sunt homines fide expertes et hebetes ingenio: ast nos plane credimus Dominum nullatenus deserturum suum populum neque haereditatem suam derelicturum, eundemque adfuturum suis, iuxta verum suum promissum, usque ad consummationem mundi et gubernaturum suam ecclesiam atque servaturum.

Multiplicandi itaque non sunt ordinandi, sed tot sint tantum quot expostulat necessitas. Nenque talem honorem tribuamus illis quos canones reiiciunt, neque recipiamus iam dudum intromissos in clerum ut quomodolibet ministerio fungantur, bigamos inquam aut interdictos vel alios hisce similes, ne exterorum efficiamur participes peccatorum, sed morem geramus apostolo, qui severe tales exstirpat. Neque animum attendamus ad argumenta turpia vel ad consuetudines pravas, sed nosmet aliis exhibeamus exemplum tum vitae immaculatae tum etiam rectae et piae rationis agendi, ut Dominus noster nobis placatus cor illuminet mitis et victoris nostri imperatoris (1), eumque inducat ut radicitus evellat scandala ista quae corpus ecclesiae scindunt, membraque ad tempus separata coniungat in unum per doctrinas puras, apostolicas et ab omni heterodoxi errore immunes; eundemque dirigat quoque ad respuendam damnandamque verbis apertis impietatem Theodori, Ibae aliorumque haereticorum qui illis similes sunt.

Subscriptio : Vale in Domino et ora pro fratre, o Deum amans.

---

(1) Alludit ad Iustinianum defensorem fidei orthodoxae.

V

DE QUIBUSDAM DIEBUS

FESTI ET IEIUNII

Praenotanda

Ultimo demum loco vulgamus excerpta quaedam ex homiliis epithroniis Severi patriarchae Antiocheni monophysitarum, quae exscripsimus ex codice syr. Vaticano CXLII exarato anno Christi 576, in quo continetur pars praedictarum homiliarum quas initio saeculi sexti syriace transtulerat ex graeco Paulus episcopus Callinici. In selectis autem excerptis agitur de die festo oblationis Deo infantis Jesu in templo, de solemni die ramorum, de festo sanctorum Basilii et Gregorii Theologi, nec non de ieiunio quod sequitur Pentecosten. Exinde non leviter historia liturgica illustratur.

I. Quod itaque attinet ad oblationem Christi infantis Deo in templo, iam "peregrina„ illa saeculi quarti ad loca sancta narrabat "quadragesima die de Epiphania (1) fieri processionem in Anastase ... cum summa laetitia ac si per Pascha. Praedicant etiam omnes presbyteri et sic episcopus ... de eo loco tractant Evangelii, ubi quadragesima die tulerunt Dominum in templo Ioseph et Maria, et viderunt eum Simeon et Anna, et de verbis eorum ..., vel de oblatione ipsa quam obtulerunt parentes. Et postmodum, celebratis omnibus ..., aguntur sacramenta„ (Edit. II Gamurrini p. 53). Modo ex Severi homilia CXXV eruitur 1° festum oblationis Domini ad Deum in templo fuisse solemniter celebratum tum Hierosolymae tum in tota Palestina; 2° eandem festivitatem celebrandi usum alias quoque ecclesias mutuo a Hierosolymitana accepisse; 3° nominatim autem Constantinopoleos metropolim; 4° Ecclesiam tamen Antiochenam usque ad tempus, quo Severus eidem praeerat, praedictam festivitatem minime celebrasse; 5° origenem eiusdem solemnitatis neque in ipsa Hierosolymitana ecclesia adeo vetustam fuisse.

(1) Notum est per orientem una eademque die celebratum fuisse olim solemnem diem Natalis Domini et Baptismi eius, qui appellabatur Epiphania.

Animadvertendum est porro aliquo tempore post Severum Syros mono - physitas hanc festivitatem oblationis Domini in templo adscivisse, uti testatur Calendarium festorum, quod edidit Iacobus Edessenus. Nestoriani autem hunc in diem minime celebrant istam festivitatem.

II. Quod attinet ad festivitatem Hosannarum, praecitata "peregrinatio" tradit. In Imbomon (εμβωμιον), quod in altare est in monte oliveti . . . cum ceperit esse hora undecima (i. e. una hora ante solis occasum) legitur ille locus de Evangelio, ubi infantes cum ramis vel palmis occurrerunt Domino dicentes: benedictus qui venit in nomine Domini . . . . . et quotquot sunt infantes in iisdem locis, usque etiam qui pedibus ambulare non possunt, quia tenere solent illos in collo sui parentes, omnes ramos tenentes, alii palmarum, alii olivarum, et sic deducitur episcopus in eo typo quo tunc Dominus deductus est de summo monte usque ad civitatem, et inde ab Anastase per totam civitatem, . . pedibus omnes . . . porro iam sero pervenitur ad Anastase, ubi cum ventum fuerit . . . totum fit lucernare; fit denuo oratio ad crucem et dimittitur populus. (Edit. II Gamurrini p. 59, 60). Iamvero Severus in praecitata homilia testatur eiusmodi solemnitatem, quae antea a pluribus negligebatur, apud quosvis christianos tunc temporis fuisse celebratam. Notum est porro quod pseudo - Iosue stylita refert ad an. 809 graecorum Petrum episcopum Edessae (qui eodem anno Cyro successit) illam festivitatem in Edessam induxisse.

III. Ex homilia autem octogesima quarta Severi discimus prima die mensis Ianuarii, qui ibidem dicitur penes Romanos primus anni mensis, ecclesiam Antiochenam iam ante Severum consuevisse celebrare festum s. Basilii Magni et s. Gregorii Theologi. Qui usus colendi memoriam utriusque doctoris per - mansit usque ad hodiernam diem in ecclesia Syrorum. In ritu autem Byzan - tino solius s. Basilii festum illa die peragitur (1).

---

(1) Historiographus arabs nomine ابن الشحنه haec refert de die festo primi Ianuarii:
وفي اليوم الاول من شهر كانون الثاني هو عيد القاندس (Kalendae) . فكان لاهل انطاكية فيه

IV. Neque minoris sunt momenti notitiae quas nobis perhibent eiusdem Severi homiliae septuagesima quarta et nonagesima secunda de ieiunio quod deinceps fuit nuncupatum "apostolorum„. Earum summa haec est: 1° Ratione illius Domini dicti: "Numquid possunt filii sponsi lugere, quamdiu cum illis est sponsus? Venient autem dies cum auferetur ab eis sponsus, et tunc ieiunabunt„ (Math. IX, 15), mos a pristinis temporibus in ecclesia obtinebat nequaquam ieiunandi a die Resurrectionis Domini usque ad ipsius Ascensionem in coelum, et mox invaluit usus protrahendi illud tempus non ieiunandi usque ad Pentecosten.

2° Exinde seu post Ascensionem vel Pentecosten, nonnulli religiosiores imitantes forsitan apostolos ieiunare incipiebant per plures dies, plerique vero feriis tantum quartis et sextis, omnes autem ex usu ieiunabant feria sexta quae sequebatur dominicam pentecosten.

3° Illa ipsa die synaxis celebabatur ad vesperas in memoriam miraculi sanationis claudi cum ascenderent Petrus et Joannes ad templum hora nona (act. III, 1-6) qua die nonnisi ad occasum solis solvebant fideles illud ieiunium.

Non erit tamen abs re hic adnotare de memorato ieiunio luculenter ex mox producendis strophis desumptis ex s. Ephraemi hymnis apparere usum antiquum saltem Edessae fuisse, ut fideles ieiunium observare inciperent feria sexta post Ascensionem quin attenderent usque ad feriam sextam post Pentecosten. In hymno enim ad tonum ܐܘ ܒܪ ܚܝܠܐ qui canitur in festo Ascensionis sequens stropha continetur ܡܢܘ ܗܘ ܥܐܕܐ ܐܚܪܝܐ ܕܩܕܡܝܢ. ܒܗ ܡܫܬܠܡ ܘܐܬܚܬܡ

عيد بكنيسة القسيان . يوقدون في ليلته النيران ويصير القداس عندهم وكذلك في سائر بلاد الشام وبيت المقدس ومصر . ولاسيما اهل انطاكية كانوا يظهرون فيه الفرج والسرور والماكل والمشرب .
"Prima die Ianuarii est solemnitas Kalendarum, quo incolae Antiochiae festum celebrabant in ecclesia Cassiani et in eius vigilia ignem accendebant. Illa die apud eos missa celebrabatur, itemque per totam Syriam et Hierosolymis et in Aegypto. Prae ceteris vero Antiocheni illa die manifestabant signa gaudii et iubilationis epulis manducandi bibendique„.

ܘܢܨܚ ܘܢܚܬ. ܫܠܡܘ ܠܗ ܠܚܬܢܐ ܐܪܒܥܝܢ ܝܘܡܝܢ ܕܒܣܡ ܘܐܣܬܠܩ. ܨܘܡܐ ܗܘ ܗܫܐ.
"Adimpleti sunt Filio quadraginta dies a quo cum belluis (commorans in deserto) ieiunavit, tentatusque est, et triumphum referens descendit. Adimpleti quoque sunt eidem Sponso quadraginta dies a quo delectatus est et ascendit. Est itaque modo ieiunium„. In alio hymno ad tonum ܕܡܘܪܢܐ idem s. Doctor ait. ܐܢ ܡܢ ܝܘܡܐ ܕܩܝܡܬܗ ܡܬܡܢܝܢ ܐܪܒܥܝܢ ܝܘܡܝܢ ܒܚܡܫܐ ܒܫܒܐ ܐܣܬܠܩ. ܘܥܦܦ ܠܗ ܝܘܡܐ ܕܥܪܘܒܬܐ ܕܙܩܝܦܘܬܗ ܘܕܣܘܠܩܗ. "Si ex die Resurrectionis eius (i. e. Domini) computantur quadraginta dies cadit in feriam quintam ipsius Ascensio. Duplicatum ergo est feriae sextae ieiunium scilicet tum eiusdem Domini Crucifixionis, tum Ascensionis„.

Ex sermonibus epithroniis Severi Patriarchae Antiochiae

I

Ex sermone centesimo vigesimo quinto de hymno doxologico : sanctus Deus, sanctus fortis etc.

Non omnes ecclesiae consuetudines quae ad nos pervenerunt ex traditionibus apostolicis derivantur, sed nonnullae (ab hominibus) inventae per transmissionem in universam, quae sub sole est, ecclesiam successive transierunt. Prima est consuetudo illa, qua multos post annos a praedicatione evangelica fideles nomine Christianorum appellati fuerunt. Quae appellatio ex ista Antiochenorum ecclesia exordium duxit, universumque dein coetum sanctum ubique terrarum complexa est.

Et ut multa praeteream, unum vel alterum commemorabo exemplum.

Hoc quod Hierosolymae et in tota Palestina festum solemne celebratur occursus, quo nempe recolunt commemorationem illius diei, quo Simeon suis suscipiens ulnis Dominum, legem adimplentem et offerentem sacrificium a Moyse praescriptum, ipsumque in natura agnoscens Deum dixit : Dimittis tu nunc servum tuum Domine iuxta verbum tuum in pace, hoc inquam festum solemne minime prius celebrabatur in urbe regia. Modo autem eadem metropolis, aemulatione incitata, eiusmodi usum ab aliis apte mutuatum secuta est, neque quispiam propterea tamquam de re nova inducta fuit accusatus.

Cognoscitis porro istud festum ignotum prorsus esse in ista civitate Antiochiae. Imo nec valde antiquum est (in Hierosolymitana ecclesia) sed sero fuit introductum, uti a viris senioribus audivimus.

Idem et dicendum est de festo quod dicitur Ramorum, cum scilicet Dominus et Salvator noster Jesus Christus, sedens super pullum asinae, ingredieba-

tur Hierosolymam, praeeunte coetu manibus gestante ramos palmarum coram ipso, puerisque collaudantibus eundem tamquam verum Deum excelsum, dicentibusque "hosanna in excelsis„. Hic etiam dies festus, cum antea a pluribus minime recoleretur hodie, ut ita dicam, apud quosvis celebratur. Nemo autem illorum qui imitati sunt illos qui olim eundem festum observabant, ipsum reiicit tamquam rem noviter inventam.

Praeterea in precibus atque laudibus in usu ecclesiarum plurae sunt quae successive inductae fuerunt.

II

Ex sermone octuagesimo quarto
De magno Basilio et de Gregorio,
Prolatus autem fuit in martyrio theophori Ignatii martyris

Imperatoribus mos est ut singulos per annos quadam nota atque statuta die, quae per temporum circulum perpetuo revolvitur, ut egrediantur ad campum impellunt exercitus militum etc..... Simili modo nos credimus disposuisse Dominum, qui sua sapientia omnia operatur producitque. Hinc magni Basilii pergratam memoriam adiunxit initio seu ianuae vel aditui illius mensis qui primus anni mensium censetur penes Romanos, cum nempe Ianuarius vocatur. Ianua enim juxta eorundem linguam dicitur ostium.

Quamobrem Basilius pontificum princeps spiritualis atque divinus, praeest nobis ipso initio circuli anni ... et Gregorii Theologi tamquam eiusdem participis recolitur memoria eadem die.

III

Ex sermone septuagesimo quarto

Habito feria sexta hebdomadae post Pentecosten in qua de more ieiunatur. Prolatus autem sermo fuit in lectionem ex actibus apostolorum ubi ita

dicitur "Petrus et Joannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam„ (cap. III, 1).

Cum haec vos auditis, quare videmini aegre ferre me in dicendo ieiunium protraxisse, quod tristitia nonnullos affecit? Ego profecto sicuti Paulus dico : quisnam me gaudere facit, nisi qui per me contristatur ? (1) Nam hanc arripui occasionem ad protrahendum conventum, ut diei maior pars praeteriret, ne mendacem redderem librum dicentem "Petrus et Joannes ascendebant ad templum ad horam orationis nonam„. En audis quod "ascendebant„; numquid dicit quod "descendebant„ ? Tu equidem expetis ut alia annunciemus et legamus atque ut alia agamus, illisque contraria perhibeamus opere. An nescis hodiernam diem hoc praedicare, ut scilicet ieiunemus atque oremus, nec non et nutriamus Christum qui esurivit, quique praesens est continuo in indigentibus, qui ad portas sunt sanctas ?

Quid est igitur quod praetermittis quae attinent ad istam diem, ut animo sollicitus sis de iis, quae extranea sunt huic tempori exiguo, mensaeque coelesti, neque ieiunio conveniunt ? Si die festo respicis ad manducandum, et quae ventris sunt appetis, quonam, quaeso, tempore auditor pacatus avidusque eris meorum verborum ? Si statim ac ad ecclesiam venis, ad tuam domum redire excogitas, et tua bilis in ieiunio exagitatur, cum quasi annum reputas unum illum diem, quonam tempore, dic mihi, te alloquar ? Vel quandonam tuam nutries animam esurientem, cum murmuras assidue ? Ego sane nosco Ecclesiasten qui ait "cuilibet rei tempus esse„.

Ex sermone nonagesimo secundo
De hora nona feriae sextae post Pentecosten

Cum itaque ab eis (i. e. apostolis) ablatus fuerit sponsus atque exal-

(1) Cf. II Corinth. VII, 9

tatus, cum scilicet ascenderit ad coelum, descenderitque Paraclitus, qui eosdem docuit, direxitque ad omnia perfecta, tunc ipsi ieiunarunt. Commemoratio est itaque hodierna dies ieiuniorum, quae observantur post Christi ablationem ascensionemque, quorum dierum ieiunii minime determinatus est numerus. Salvator enim noster indefinite ait "Venient autem dies cum aufertur ab eis sponsus et tunc ieiunabunt„ (Math. IX, 15)

Nos porro pro nostra pigritia legem adimplemus negligenter per commemorationem unius tantum diei, aegre tamen eiusdem horas ferentes, et respicientes ad aërem, occasum solis anxie attendentes, et guttur pandentes ad comedendum. Qui sic ieiunant, minime veri sunt christiani. Nosco vero plures qui ista ieiunia diligenter observant, et in ipsa urbe Antiochia sunt praesertim castae mulieres, quae per cunctos dies tenent ieiunium, plurimae autem ipsarum ieiunant feriis quarta et sexta. Eaedem derident suos viros propterea quod negligant ieiunium, et cum hi illas ad mensam advocant, nihil omnino proficiunt, sed potius iidem vincuntur a foeminis animabus sinceris, quae ordinem tenent principalem, dupplicemque meritum obtinent, cum confident se ieiunare atque vincere simul virtute Christi, qui dixit : "Virtus mea in infirmitate perficitur„.

APPENDIX

Appendix

Iam erat hic libellus excusus cum, inter cl. D.ris Neumann ordinis Cistersiensium claustri Heiligenkreuz prope Vindobonam codices syriacos praestantissimos a monasterio s.t Catherinae provenientes et a Melchitis exaratos, duos comperimus, ex quibus hic, loco appendicis ad Im documentum, exhibemus subscriptiones finales, quae praeclare illustrant disquisitionem nostram de usu liturgico linguae graecae per orientem et de conversis ex graeco in syriacum libris ritualibus Byzantinis. (Cf. supra pag. 10 n. 8 pag. 12 n. 12 etc.).

I Ad calcem itaque codicis I, qui complectitur quaedam scripta s. Athanasii, s. Ephraemi, Severini Gabalensis, Tomum s. Leonis, epistolam Felicis Papae ad "impurum„ Petrum Fullonem, subnectitur sequens epigraphe "ܐܬܟܬܒ
ܘܐܫܬܠܡ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܒܗ̇ ܒܡܕܝܢܬܐ ܡܒܪܟܬܐ ܐܘܪܗܝ ܕܒܝܬ ܢܗܪ̈ܝܢ ܒܝܪܚ ܢܝܣܢ
ܒܫܢܬ ܐܠܦ ܘܬܠܬܝܢ ܘܐܪܒܥ ܒܝܘܡܝ ܕܐܒܐ ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܐܬܢܣܝܘܣ ܦܛܪܝܪܟܐ ܕܐܢܛܝܘܟܝܐ
ܕܡܕܝܢܬܐ ܘܕܡܕܢܚܐ ܘܩܕܝܫ ܐܠܗܐ ܗܘܐ ܪܝܫ ܟܗ̈ܢܐ ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ. ܘܡܡܢܘܢ ܡܫܡܫܢܐ
ܐܪܝܐ. ܘܗܘ ܡܫܡܫܢܐ ܘܦܪܘܛܘܣܘܢܩܠܘܣ ܕܟܠܗ ܥܕܬܐ ܡܪܝܢܐ. ܘܗܘ ܡܫܡܫܢܐ ܡܬܪܓܡܢܐ
ܕܠܫܢܐ ܕܝܘܢܝܐ. ܘܡܬܩܢܐ ܡܡܠܠܐ ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܘܐܪܟܝܕܝܩܘܢ ܡܫܡܫܢܐ
ܘܡܬܪܓܡܢܘܬܗ. ܘܡܢ ܐܢܐ ܕܡܘܣܝܩܐ ܘܡܠܦܢܐ. ܘܗܘܝܬ ܐܢܐ ܕܐܪܟܝܕܝܩܘܢܐ.
ܘܗܘܝܬ ܐܢܐ ܕܐܦܐ ܕܒܪܢܫܐ ܕܡܕܝܢܬܐ ܐܢܐ ܕܐܦܐ ܕܡܫܡܫܢܐ . . . .
ܐܬܟܬܒ ܘܐܫܬܠܡ ܟܬܒܐ ܗܢܐ ܒܝܘܡ ܥܪܘܒܬܐ ܕܫܒܬܐ ܕܝܪܚܐ ܐܝܠܘܠ ܬܫܥܐ ܒܗ
ܕܗܘܐ ܒܗ ܡܬܪܓܡܢܐ ܚܕܐ ܘܐܠܦ ܠܫܢܐ ܘܡܢ ܡܫܡܫܢܐ ܒܢ ܫܡܥܘܢ ܒܪ ܚܢܢܐ ܕܡܢ ܒܝܬ ܚܢܢܐ
ܡܫܡܫܢܐ ܕܒܝܬ ܐܒܐ ܫܡܥܘܢ. ܐܬܟܬܒ ܕܝܢ ܒܐܝܕܝ ܡܫܡܫܢܐ ܘܚܒܝܒܐ ܕܚܒܝܒܐ ܡܫܡܫܢܐ ܕܡܢܝܢ
ܕܒܝܬ ܫܡܥܘܢ ܕܐܠܗܝܐ ܡܢ ܒܝܬ ܡܫܡܫܢܐ ܘܡܕܝܢܬܐ ܕܟܠܗܝܢ ܕܐܬܘܪܝܐ ܒܡܢܐ ܕܡܝܐ
ܕܡܢܐ ܕܚܒܝܒܐ. ܒܝ ܐܬܪܐ ܒܐܝܕܝ ܚܕܐ ܕܒܝܬ ܒܪܬ ܫܡܥܘܢ ܡܢ ܕܡܢܝܢ ܘܡܫܡܫܢܘܬܗ
ܡܫܡܫܢܐ ܘܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܗܘ ܕܒܝܬܘܢ ܕܚܒܝܒܐ ܕܐܬܪܐ ܐܢܐ ܐܦܝܣܩܘܦܐ ܕܐܘܪܗܝ
ܡܒܪܟܬܐ ܕܐܘܪܗܝ. "Exaratus et absolutus fuit hic liber in ipsa benedicta urbe Edessa Mesopotamiae mense aprili anno 1034 (Christi 723) sub praesule

regionis Ioanne metropolita (1) eiusdem urbis et egregiis atque Dei amatoribus Cyro protopresbytero et oeconomo, Simeone altero presbytero, Ianni presbytero et hegumeno aedis Iconis Dominicae, Ianni presbytero et chartulario eiusdem s. ecclesiae, Ioanni diacono et archidiacono, Abrahamo diacono et custode s. supellectilis (2) Cosma praeside hypodiaconorum et notario, Ioanne praeside anagnostorum, nec non Ioanne praeside chori graecorum, et Niciano praeside chori syrorum . . . Sollicitus fuit et acquisivit librum istum ex labore suo, erogatis expensis suis aliorumque Dei amatorum qui ipsi subsidium praestiterunt, venerandus Deique amator presbyter Ioannes filius Simeonis filii Girsa ex Bariasnaia oppido regionis Homs. Fuit autem praedictus liber exaratus manu peccatoris et minimi Gabrielis presbyteri eiusdem commemoratae ecclesiae sanctae ad fidem codicum vetustorum et authenticorum, qui asservantur in bibliotheca ipsius ecclesiae, atque rite collatus est accuratissime per humilem Constantinum diaconum et alumnum praeclari sanctitate Georgii archiepiscopi urbis Apameae (3) Syriae„ .

Iamvero ex relatis in hac epigraphe discimus :

1° Melchitas, seu syros diophysitas, habuisse in urbe Edessa primo quarto saeculi octavi constitutam ecclesiam cum metropolita, presbyteris, diaconis, hypodiaconis et anagnostis. Praeter ecclesiam unam tantum, ut videtur occupabant aedem Iconis Dominicae, seu Effigiei Christi, cuius dicitur hegumenus Iannes presbyter. Porro Dionysius Telmahrensis (4) apud Michelem patriarcham Iacobitarum (chron. cap. XI n. 15) narrat virum quendam eiusdem sectae cele-

(1) Apud Le Quien or. christ. in serie Edessae metropolitarum deest nomen huius Ioannis metropolitae melchitarum illius sedis.

(2) Graece Σκευοφύλαξ

(3) Huius quoque Georgii inter metropolitas Apameae desideratur nomen apud Le Quien or. christ.

(4) ܐܬܢܐܣܝܘܣ ܒܪܓܘܡܝܐ ܒܝܘܡܝ ܥܒܕܠܡܠܟ ܗܘ ܐܘܪܗܝܐ ܕܒܢܐ ܕܒܝܬ ܐܣܛܪܛܝܘܬܐ . . .
ܘܡܣܩ ܠܓܠܣܗ ܕܡܫܝܚܐ ܒܝܬ ܐܣܛܪܛܝܘܬܐ

